


Co. 24.

~~C. E. S. in subv. R. ademeris. Et mediatoris~~
~~Adonicy N. Thom. C. ...~~





M. MATTHÆI
ABSDORFII POE-
MATA QVAEDAM THE-
ologica, Generosis Comitibus
Stolbergensibus de-
dicata.

Psal: 118.

*Quam dulcia faucibus meis
eloquia tua, super mel ori meo.*

*Lucerna pedibus meis ver-
bum tuum, & lumen semitis me-
is.*

Christophorus



Lehmann

MAGDEBURGE

M. D. LXXVIII.

ALMA MATER
ASSOCIATION
OF THE
UNIVERSITY OF
HALL

KEN. FR.
UNIVERS.
ZV HALLIE



REVERENDIS,
GENEROSIS, ET INCLYTIS
DOMINIS, D. ALBERTO GEOR-
GIO, & D. CHRISTOPHORO, Halber-
stadensium Præposito, fratribus, Comitibus
in Stolberg, Königstein, R tze fort,
& V Vernigeroda, Dominis in
Epstein, Mintzenberg,
Breuberg &c.

Dominis suis clementibus, S. & G. per
Christum Servatorem nostrum.



Mnis caro, inquit Propheta
Esaïas, foenum est, & omnis
gloria eius quasi flos agri,
Exaruit herba, & cecidit flos.
Verbum autem DEI nostrum
manet in æternum. His ver-
bis, Generosi Comites & Do-
mini, Diuinus ille Vates voluit nobis ante oculo-
los, & in animi conspectum ponere, vitæ nostræ
breuitatem, & fragilitatem, & omnium rerum
huma-

humunarum inconstantiam, & fugacitatem. Homo est, inquit, quasi herba, quasi foenum, & omnis gloria eius, hoc est, forma, diuitiae, potentia, authoritas, quasi flos agri, qui enatus cito arefcit. Eandem humani generis imbecillitatem & miseriam descripturus Moses, Psal: 90. ait: Facis eos ruere vt vndam, vt somnus sunt, & quasi herba, quae mane viret, & statim flaccescit, & vesperi exciditur & ficcatur. Quia consumimur in furore tuo, & in ira tua tremur. Quoniam omnes dies nostri declinauerunt. Propter iram tuam consumpsimus annos nostros tanquam sermonem. Dies annorum nostrorum, quibus viuimus septuaginta anni sunt, aut ad summum octuaginta, & vbi optima fuit vita nostra, labor & dolor fuit, quoniam recedit cito, & auolamus. Et beatus Iob de nostra fragilitate conquerens, ait: Homo quasi flos prodit, & interit, & fugit velut vmbra. Haec vita est quasi rosa, quae matutinis temporibus enata, vespertinis consenuit & perit. Aut quasi fumus, seu vapor, qui paululum eleuatus in aera, mox attenuatus euanescit. Apud Graecos vetus & laudatum est prouerbium, πομφόλυξ ὁ ἀνθρώπος. Homo bulla. Qua venusta comparatione monemur, hominum vita nihil esse breuius, nihil fugacius, nihil fragilius. Vt enim bullae in vndis efferuescentibus natae, aliae subitō

to euanescent, alia paulo diutius apparent, & semper alia alijs succedunt: Ita alijs hominibus breuius, alijs longius, omnibus tamen exiguum vitæ curriculum natura circumscripsit. Hoc verissimum esse, quotidiana experientia testatur. Atq; hoc ita se habere, vos illustres Comites, in vestra gente & familia satis experti estis.

Pater vester Bodo generosus & optimus Heros, quem propter singularem rerum successum, fortunatum quidam nominauerunt, cuius præclarissimarum virtutum memoria apud nos viget, & nullo vnquam tempore inter moritura celebrabitur, annum ætatis suæ attigit septuagesimum primum, natus enim est anno Christi 1467, mortuus vero anno 1538, die lunæ proximo post festum S. Trinitatis. Mater vero vestra Anna Comitissa in Königstein, præstantissima & optima matrona, quæ in hanc lucem edita est anno Christi 1482, maritum secuta eodem anno, die 7. Augusti decessit, anno ætatis suæ quinquagesimo sexto, cum in coniugio vixissent annos 38. atq; liberos procreassent 13. Quamuis vero parentes vestri ante 40. annos ex hac vita recesserint, tamen vigent, & viuunt in cælis, æterna Dei visione beati. Atq; hi quidē lætate prope exacta & decursa vitam naturæ reddiderunt. Fratres vero vestri, Bodo, Philippus, Eberhardus, immatura morte occubi-

A 3

erunt

erunt. Cæteri fratres vestri, quorum Epitaphia conscripsi, senectutem (vt hoc nostrum fert seculum) satis grauem, eamq; honoratam, & magna autoritate pollentem adepti sunt. Ex quinque sororibus, Magdalena, illustris Principis nostræ Elizabeth mater, infesto fato abrepta est, cum ageret annum 35. Cæteræ ætate prouectiores fuerunt. Ex quibus Iuliana, Comitissa in Nassou, adhuc Dei beneficio, superstes est, iam ingressa annum ætatis suæ septuagesimum secundum. Venit enim in hanc vitam, anno Christi 1506. die Iuliani, qui incidit in 27. Februarij. Matrona virtute, & pietate, & sobole gloriosa & illustris, ex qua natus est illustrissim⁹ Heros Guilhelmus, princeps Aurengiæ, Comes de Nassou &c. virtute bellica, rei militaris peritia, & rerum gestarum gloria non solum apud Belgas, sed in toto orbe celeberrimus. Ex fratribus vero vos natu minores, te, Generose Comes Alberte Georgi, teq; Reuerende & inclyte Comes Christophore, ad hæc vsq; tempora, singulari sua benignitate, & prouidentia seruauit DEVS optimus Maximus. quos vt & posthac diu incolumes & saluos, in hoc viuorū numero, ad subditorum vtilitatem & salutem, conseruet Pater cœlestis, assiduis votis petendum est. Et sane per ætatem adhuc multos annos viuere potestis, cum tu, Comes Alberte,
iam

iam annos habeas 62. ac istam senectutem belle
sane feras, & ad res gerendas integris sis viribus.
Et tu, Comes Christophore annos 54. natus,
reipub: tuæ egregiam naues operam, & in ea
augenda & exornanda multum sudas. Sed ta-
men vos assidue fragilitatem & fugacitatem
huius vitæ considerare decet. Nam mortales
sumus, Et, (vt dicitur) Cui nasci contigit, ei
nihil nisi mori restat. Et incertum est, quo tem-
pore, qua hora emigrandum sit, vt dicitur:

*Mors certa est, incerta dies, hora agnita nulli,
Extremam quare quamlibet esse puta.*

Quid vero faciendum in tanta vitæ, & re-
rum omnium mutabilitate & inconstantia? Id
indicat Propheta, cum ait: Verbum autem
DEI nostri manet in æternum. Studiose igi-
tur discendum verbum DEI, & in imis pecto-
rum penetralibus asseruandum, tanquam the-
saurus preciosissimus, qui cum cœlestis sit,
longe omnibus rebus humanis antecellit,
qui, cum omnia huius mundi bona caduca &
momentanea sint, solus integer, & incorruptus
permanet in perpetuas æternitates, & sui pos-
sessores a morte & interitu vindicat & liberat, &
vere immortales reddit. De qua re non est
quod quis dubitet, cum CHRISTVS Ser-
uator noster, qui ipsa est veritas, hoc asserat, &

gravi quidem asseueratione affirmet. Amen
Amen, inquit, dico vobis, Si quis sermonem
meum seruauerit, mortem non videbit in æter-
num. Iohan: 8. capite. Hæc ego, clarissimi Comi-
tes, officio meo adductus, quondam Comiti
Bodoni, fratris vestri Vvolffgangi filio, piæ me-
moræ graui morbo apud nos oppresso, & to-
rum annum ægrotanti, sedulo ingerebam atq;
inculcabam. Cumq; eum cœlestis verbi au-
ditissimum cognoscerem, & singularem eius erga
DEVM obedientiam, & in malis patientiam
mirarer: Vt fiducia eius ex verbo, operante
Spiritu sancto, concepta, confirmaretur & cor-
roboraretur: collegi consolationes veras & effi-
caces, morti, & omnibus huius nostræ vitæ ma-
lis & ærumnis, opponendas, easq; ligata oratio-
ne, qua potui industria, explicauit, atq; illi, vt
lectione harum suam miseriam solaretur, obtu-
li. Quod scriptum cum ei gratissimum esse
perspexissem, promisi me id in eius honorem
editurum esse. Sed cum is paulo post (DEO
sic volente) ex hac vita emigrasset, ac triste sui
desiderium nobis reliquisset, fratribus eius, quo-
rum clementia erga me non est obscura, idem
pollicitus sum. Vt igitur promissa seruarem,
recognoui ea, quæ ad Bodonem scripseram, &
ut munus meum plenius esset, adieci quædam
Epitaphia vestrorum, maxime eorum, quos ego,
dum

dum in his locis fui, diem suum obire memini.
Addidi quoque preces quasdam, quibus ho-
mines pii & docti, quisque in suo vitæ genere uti
possunt. Cum vero iunioribus Comitibus
Dominis meis, labores meos nuncupare vellem,
videbar mihi non recte facere, si vos natu maio-
res, quorum pietas, virtus, & prudentia in rebus
gerendis eximia est, plane præterirem, maxime
cum & vos oracula diuini verbi amare, magni-
facere, & in his acquiescere sciam, & vos me sin-
gulari beneuolentia & fauore complecti, in mul-
tis rebus animaduertentem, nec dubitem, quin hæ
nostræ lucubrationes, in honorem vestræ gen-
tis & familiæ susceptæ, uobis sint futuræ gratif-
simæ. His igitur rationibus motus vobis in
primis, Generosi, & inclyti Comites, & Domini,
hoc opusculum a Musa nostra bono & pio stu-
dio elaboratum, dono & dico, & maiorem in
modum oro, ut, pro clementia vestra, hoc mu-
nus non tam ex suo pondere, quam ex donantis
animo aestimare velitis. Precor autem Deum
Patrem Domini nostri IESU CHRISTI,
ut vos quam diutissime seruet incolumes & flo-
rentes, atque ita regat, ut & Deo grata, & homi-
nibus salutaria faciatis. Quedelburgi, die S.
Matthæi Apostoli, qui est 21. Septembris, Anno
1578.

V. C.

deditis.

Matthæus Absdorfius M.

GENEROSIS ET INC
CLYTIS DOMINIS, D.
VVOLFGANGO ERNESTO, D. IOHANNI,
& D. HENRICO, fratribus, Comitibus in
Stolberg, Königstein, Rutzefort, &
VVernigeroda. Dominis in Ep
stein, Mintzenberg,
Breuberg &c.

*Dominis suis clementibus S. & G.
per Christum.*



*Ulchrior in terris homini est possessio
nulla,
Quam virtus, docti cultus & in-
genij.*

*Hoc, Comites clari, Graij dixere ve-
tusti.*

*Et post hos Latium qui coluere Sophi.
Et præclare equidem, Nam quid preciosius istis
Pectoris eximijs, ingenijq; bonis?
His cedunt aurum, argentum, gemmeq; nitentes,
His cedunt arces, magnaq; regna Ducum,
His cedunt vulgus quaecunq; hic suspicit amens,
Quaecunq; in primis turba profana petunt.*

Hæc

Hæc nostros formant animos, poliuntq; decenti
Ornatu, hæc vitium, barbariemq; fugant.
Hæc vitam instituunt, mores, actusq; gubernant,
Atq; hominis magnum sunt decus, atq; bonum.
Hæc verè faciunt hominem, qui munera vitæ
Cum laude, & fructu possit obire suæ.
Deniq; cum nullis tutum sit fidere rebus,
Quas vel fors dat, vel debile corpus habet.
Hæc bona sola suo nunquam à cultore recedunt,
Sed firma assistunt, perpetuaq; fide.
Hæc fors nulla potest, nullus diuellere casus,
Non vis à Domino hæc abstrahit vlla suo.
Hæc non in falsis amittit naufragus undis,
Sunt salva hæc, dominus si modo saluus abit.
Certior in terris ergo possessio nulla,
Nec quicquam in vita pulchrius esse potest.
Ut Phæbus rutilo nitidus cum prodit ab ortu,
Obscurat radijs astra minora suis.
Sic arti cum iuncta nitet clarissima virtus,
Splendorem amittunt cætera dona suum.
Et seu fortune bona sint, seu corporis illa,
Longe animi cedunt, ingenijq; bonis.
Sed quantum superant artes, generosaq; virtus
Omnes quas mundi continet orbis opes.
Tantum his diuini præstat sapientia verbi,
Qua nullum in toto est dignius orbe bonum.
Quæ cum cælestis sit, longo humana relinquens
Post se intervallo, tollit ad astra caput.

Hæc

*Hæc doctrinæ omnis tanquam Regina, supremum
Obtinet in mundo splendida iure locum.
Nil valet hic virtus, nil multa scientia rerum,
Hac ni mortalis sit decoratus homo.
Sordescit virtus, ac ignorantia crassa est,
Vel rerum mundi maxima cognitio,
Huius si splendor, vera ornamenta q; desint,
Hæc si non radiet lumine clara suo.
Vana omnis virtus, vana est doctrina Sophorum,
Hæc ni nostra sua pectora luce regat.
Hac non thesaurus nobis preciosior ullus,
Huic par nil terræ maximus orbis habet.
Hæc astris nitidis, & Phæbo est pulchrior ipso,
Cuius prælustri gloria fine caret.
Hæc summi virtus patris, & sacer halitus oris
Diuini, ex ipso corde profecta venit.
Hæc iubar æterni, radiusq; est luminis ille,
Qui vincit lucem maxime Phæbe tuam.
Nam si cælestis desit fax fulgida verbi,
In media nobis nox erit atra die.
Hæc mentis nebulas humanæ discutit ipsas
Atq; oriens lucem spargit in orbe nouam.
Hac nos fulgenti verbi præeunte lucerna.
Ducimur ad summi templa sacrata DEI.
Et quantum hic fas est, verè cognoscimus illum,
Quidq; velit clemens discimus ille pater.
Hæc Saluatorem nobis commonstrat IESVM,
Heroa inuictum, verum hominem atq; DEVM.
Aeternum*

Aeternum mundi Phœbum, lucemq; perennem;
Humani generis præsidium atq; decus.
Qui sacra saluifici primus mysteria verbi,
Ex Patris arcano protulit ipse sinu.
Illius ductu res arriperemus vt istas,
Comprendi nulla quæ ratione queunt.
Vt vero æternus verbi est ter maximus Autor,
Sic etiam verbi stat sine fine vigor.
Vtq; idem verax est, sic oracula verbi
De rebus cunctis non nisi vera docent.
Ergo si Verum dubius quis scire laboret,
De rebus certi si quid habere velit.
Is sacra cœlestis perquirat Biblia verbi
Quidq; sacer doceat spiritus ille notet,
Hic lucem veri claram, miramq; videbit,
Hic, quod mens tuto credere possit, erit.
Hic rerum fontes, causæ, finesq; patebunt,
Atq; sub aspectum, quæ latuere, cadent,
Hinc, quando magni sit condita machina mundi,
Discimus, & primus quando creatus homo.
Hinc patet, vnde viri sociam depromserit ille,
Qui rebus formam, principiumq; dedit.
Quod DEVS ipse marem, mox fœmellamq; creârit,
Ac vnâ carnem fecerit esse duos.
Quod genus hoc vitæ in Paradisi cæperit hortis,
Cum sanctus, florens, integer, esset homo,
Hinc hominis tristem solum cognoscere lapsum
Possumus, ac nostri quæ sit origo mali.

Nempè

Nempe quod in fraudem primorum corda parentum
Impulerit mendax, ac homicida Satan.
Quod sit peccati labes inuecta nefandi,
Dum Satanæ miser est iussa secutus homo.
Quod sit peccatum cunctorum causa malorum
Quæ nostrum infestant, conficiuntq; genus.
Quod Satanus mortem sic introduxerit atram,
Ac homines iuris fecerit esse sui.
Hinc constat, quid porro spei mortalibus ægris
Sit, quos captiuos mors, Satanusq; tenent.
Nempe, quod immenso nostri commotus amore,
Messiam nobis miserit ipse DEVS.
Effigiem, natumq; suum, qui tempore certo
Ex pura verus virgine natus homo est.
Qui mundi propria peccatum morte piavit,
Persoluitq; Patri debita lytra suo.
Qui solus nostros moriendo contudit hostes.
Victrici & posuit leta trophæa manu.
Qui nobis clausum rursus reserauit Olympum,
Per quem parta noua est gratia, vita, salus.
Qui nos auulsos mortali à corpore seruat.
Ac vera vita, leticiaq; beat.
Qui quoq; restituet dulci data corpora somno
Cum mundi extremus venerit ille dies.
Hæc plane ignorat veterum schola docta Sophorum,
Hæc Plato non nouit, nescit Aristoteles.
Hæc sancti illius propria est sapientia cætus,
Qui retinet veri dogmata vera DEI.

Si quis

Si quis verò gemit, fato vexatus acerbo,
Nec quo se vertat, quidue sequatur, habet:
Is sacri euoluat diuina volumina verbi,
Attentoq; animo scripta verenda legat.
Hinc firma in dubijs venient solatia rebus,
Et graue quod fuerat, mox leue fiet onus.
Hinc certum est, illos, mundi quos diligit autor,
Oppressos multis sæpius esse malis.
Quod cruce sic soleat DEVS exercere piorum
Corda, & subiecto hoc igne probare fidem:
Quodq; sui in nobis alat hac ratione timorem,
Et carnis fastum, luxuriamq; premat.
Quodq; velit nostras sic nos agnoscere sordes,
Quas nullo attendunt impia turba modo.
Ac studio lapsus summo vitare futuros,
Qui offendunt sancti numina sancta DEI.
Quodq; preces velit ardenti nos fundere corde,
Et querula summum voce vocare Patrem:
Ut quod promisit, præstet, donetq; petenti,
Ac patriam presso porrigat vltro manum.
Eius vt auxilium sit gratius, atq; paternus
Clarius erga nos conspiciatur amor.
Non etenim sese occultat, quod nolit adesse,
Quod nobis operam deneget ipse suam.
Verum maiori studio quæramus vt ipsum,
Pulsemus clausas fortius atq; fores.
Ut se quæsitus quærentibus offerat ipsum,
Atq; opportuno tempore tendat opem.

ut

Ut tandem eripiat, sustentet, saluet, & ornet,
Ac immortalis vita & honore beet.
Nam certum est, illos, mala qui tolerare parati
Perstant, se iusto subiiciuntq; DEO,
Ampla recepturos æternæ præmia vitæ,
Et bona non finem, non habitura modum,
Sic ergo vero firmat nos robore verbum,
Ac nervis armat pectora nostra suis.
Hæc nostra ignorat ratio, de his nulla Sophorum
Quos gentes iactant, nos monumenta docent.
Si quis summo autem gratus cupit esse tonanti,
Si sibi propitium postulat esse DEVM,
Is puro sanctum complexus pectore verbum,
Maioris pretij ducat in orbe nihil.
Si cui vita placet frugis, studiosius actus
Ad verbi normam dirigat ille suos.
Si quis faustè ex hac optat discedere vita,
Is verbo nitens ingrediatur iter.
Tanta igitur sancti cum sit sapientia verbi,
Cum miseris nobis commoda tanta ferat,
Cum nos in summi ducat sacraria templi,
Ac monstret veri numina magna DEI,
Cum Christum exhibeat, sine quo nemo esse beatus
Quantumnis florens hoc sit in orbe, potest.
Cum gratam accendat tenebroso in pectore lucem,
Et de re quavis dogmata sana ferat,
Cum leuet ærumnas vero solamine nostras,
Et præsens nostris sit medicina malis.

Hoc

Hoc sine cum rectè non possit viuere quisquam,
Et bene supremum claudere nemo diem:
Certè admiranda est diuina scientia verbi,
Ac mundi cunctis anteferenda bonis.
Hanc qui fidenti seruârit pectore, nunquam
Sentiet is rabiem mors truculenta tuam.
Hæc fratrem, Comites, vestrum sine fine monebam,
Quondam, cum nostra mæstus egeret ope,
Hæc inculcabam scriptis ac voce Bodoni,
Infesti morbi cum graue ferret onus.
Hæc etiam arripiens grauium fomenta dolorum,
Aduersa inuictò pectore fata tulit.
Et CHRISTO medico verè confisus, ab ipso
Cælestem assidua voce poposcit opem.
Atq; eius curæ se commendauit amicæ,
Cuius spectata est, atq; probata fides.
Cuius certa valent contra omnes pharmaca morbos
Qui contra mortem solus adesse potest.
Huius cum sacro miserum se sanguine lotum,
Certo propitium sciret habere DEVM,
Atq; parata sibi cælestis gaudia regni,
Damna sui leuius corporis ille tulit.
Ac ærumnosam sensim contemnere vitam
Cæpit, & in CHRISTO ponere cuncta suo.
Huic se commisit totum, hunc est sæpè precatus,
Ægrotò vt ferret, quam statuisset, opem.
Eius ad arbitrium vitam exhalare paratus,
Cum restare aliam iam sibi nosset, erat.

B

Hoc

Hoc etiam nixum tandem hunc dimittere mundum
Vidimus, & recta tendere ad astra via.
Cum vero, Comites generosi, ignarus amoris
Non sim, quo fratrem vos deamasse liquet.
Nec dubium mihi sit, memori quin mente colatis
Fratris defuncti nomina chara pij:
Quæ dederam ad viuum collegi scripta Bodonem
Adjiciens quædam hoc non aliena loco.
Nempe quibus volui vestrorum ornare sepulchra
Quos memini extremum tristis obire diem.
Atq; preces quasdam, quibus uti cuiq; licebit,
Cuiuscumq; sit is conditionis homo.
Quæ quia cælestis redolent oracula verbi,
Censebam lectu grata futura pijs.
Has operas nostras tenues, nostrosq; labores,
Vobis nunc, Comites, nostra Thalia dicat.
In fratris nam iure locum succeditis ipsi,
Quæq; eius fuerant, iure tenetis opes.
Vestraq; cum pietas, vestra & clementia nota,
Vester & in doctos sit mihi notus amor
Et vestra erga me mihi sit perspecta voluntas,
Ac animum vestrum facta benigna probent:
Has volui saltem vobis persolvere grates,
Ut studij extarent hæc monumenta mei.
Nec dubito, vobis quin sit gratissima Musa
Nostra hæc, quam præses verus Apollo regit
Quam mortale iuvat nil, cui immortalia curæ
Sunt bona, cælestes quæ meditatur opes.

Hanc

Hanc ergo, Comites, vultu aspectate sereno,
Atq; mihi Vati, quaeso, fauete seni.
Qui licet emeritus iam sim, tamen arma capesso,
Atq; vetus studium sector, aloq; meum.
His ego delicijs vescens, fastidia vitæ
Sollicitæ pello, & tædia multa leuo.
Accipite ergo meæ, Domini, munuscula Musæ,
Atq; pia studium mente probate meum.
Et sicut facitis, diuini oracula verbi,
Præconesq; eius semper amate pios.
Sic fors læta aderit, sic vos complexa fouebit
Perpetuo magni gratia magna DEI.

Quedelburgi

Anno 1578.

V. C.

deditis;

Matthæus Absdorfus M.

B 2

Generoso

GENEROSO ET
INCLYTO DOMINO, D.
BODONI, COMITI IN STOLBERG,
Konigstein, Rutzefort, & VVernigeroda,
Domino in Epstein, Mintzenberg,
Breuberg &c. Domino
suo clementi

S. & G. per Christum Seruato-
rem nostrum.



*H*æc, generose Comes, morti opponenda
rapaci,
Collegi nuper, mysteria sacra secutus
Cælestis verbi, quo nil est verius vsquã,
Inclusiq; modis certis, nūerisq; sonoris,
Ut memori hæerent in mente tenacius ista,
Et magis afficerent animos, & corda piorum.
Hæc vero scripsi, me firmaturus in omnem
Euentum rerum, vitæ variosq; fugacis
Casus, & contra terrorem mortis acerbum,
Carnem qui nostram non raro concutit ægram.
Ni mens diuini nitatur robore verbi,
Quod solum trepidos sustentat, quodq; iacentes
Erigit, atq; metu mortis quoq; liberat omni.
Quod verè est spirans herbis fragrantibus hortus,
Herbis

Herbis quæ cuius præbent medicamina morbo,
 Quæ possunt etiam præsentem pellere mortem,
 His medicamentis vsus, me sæpè leuari
 Sensi, & læticiam concepi pectore veram,
 Vincentem curas tristes, animiq; dolores.
 Hoc fit, cum Patris meditor promissa supremi,
 In nos diuini vera argumenta fauoris.
 Cum verso CHRISTI pulcherrima dicta Magistri,
 Aurea dicta quidem, certissima cordis aperti
 Indicia, atq; ipsam Verè referentia mentem.
 Hæc mecum quoties attento cogito corde,
 Paulatim pulsus succedunt gaudia curis.
 Præsertim vitæ bona cum perlustro future,
 Cumq; suo pendo cælestes pondere gazas,
 Quas DEVS in Christo gratis dispensat habendas,
 Nobis, qui solo semper pendemus ab ipso,
 Qui verè solo semper speramus in ipso,
 Ipsius arbitrium, nutus patriosq; tuentes
 Seu mala nos vexet, seu sors arrideat æqua.
 Hæc ego nostrorum cum præmia magna laborum
 Perpendo tacitus, cumq; alto in pectore verso,
 Tunc animus cura sensim recreatus ab ægra,
 In spem tantarum rerum sese erigit amplam,
 Et sese opponit fortune fortiter omni.
 Hoc verum esse frequens sanctorum turma fatetur.
 Quæ dum promissi spectat bona maxima regni,
 Nullum sentit onus, nunquam cruce pressa fatiscit
 Cum vero duræ quoq; te, Comes inclyte, sortis

Conditio affligat tristis, sic patre volente,
Cælesti qui castigat, quos diligit, omnes:
Quærendum sacris tibi erit medicamen in hortis
Scripturæ sanctæ, cuius vis magna mederi
Sola malis poterit, quæ te angunt atq; fatigant.
In primis causas semper meditaberis ipsas,
Cur DEVS affligat iustos, quos sanguine Christi
Confisos, certum est charos summo esse parenti,
Nempe ut conformes Domino reddamur IESV,
Qui mortem passus, sic ad sua regna recurrit,
Ut caro, luxurians rebus plerumq; secundis
His contundatur frenis, subiecta q; sancto
Spiritu, lapsus turpes, peccata q; vitet
Mortifera, & sanctam meditetur sobria vitam.
Ut q; fides crescat duris exercita rebus,
Atq; precum grati crebro accendantur odores.
Et cum spe vigeat fortis patientia certa.
Ut q; malis fessi multis, multo q; labore,
Hanc ærumnosam discamus spernere vitam,
Atq; pijs votis promissam poscere pacem.
Has animo causas bene si lustraueris alto,
Fortunam disces omnem superare ferendo,
Atq; voluntati diuinæ subditus vltro,
Contempto hoc mundo, celsum affectabis Olympum.
In mundo spes nulla boni, spes nulla salutis.
Plena malis terra est, plenum mare, plenus & aër.
Nec nisi per mortem licet hinc euadere cuiquam.

Omnes.

Omnes iustorum finit mors sola labores,
Mors sola est veræ fausta instauratio vitæ,
Ad quam principio facti sumus, atq; creati,
Quamq; suo nobis reparavit sanguine CHRISTVS.
Cuius diuitiæ veræ sunt, gaudia veræ.
Cuius thesauros si spectes, sordida mundi
Gazæ paupertas sunt, vt si stultus arenas
Diuitijs Arabum precioso comparet auro.
Ad cuius lucem mundi collatus aperti
Splendor, nox atra est, densa & caligine plena.
Cuius respectu dolor est hæc nostra voluptas,
Luctus læticia hæc, vita hæc tristissima mors est.
Sed de his plura sequens tradit, memoratq; poëma,
A me contextum solerte pioq; labore.
Quod nostrum, Generose Comes, tibi dedico carmen
Officium vt præstem, mea q; obseruantia constet
In te, vt me memorem & gratum, cupidumq; salutis
Esse tuæ videas. Placida ergo suscipe mente,
Hoc munus specie paruum, sed pondere rerum
Magnum, quandoquidem Paradisi spirat odores
Ambrosios, gratos animæ, cordiq; trementi.
Hoc igitur frueri, atq; animum solare iacentem,
Atq; tuo semper seruato in pectore Christum.
Sic DEVS ipse sui firmatum robore flatus,
Te sustentabit clemens, nec deseret vnquam.
Idq; ego posco patrem votis ardentibus alnum,
Vt te conseruet, foueat, tueatur, & ornet,

*Et faxit tandem, vt vita hac, mundoq; relicto,
Coniuncti patria cum CHRISTO habitemus in aula.*

Quedelburgi. Idibus Februarij

Anno 1577.

T. C.

deditis:

Matthæus Absdorfus M.

CONSOLATIONES

VERAE, MORTI, ET OM-
NIBVS HVIVS VITAE CA-
lamitatibus opponendæ, ad BODO-

NEM Comitem Quedelburgi
ægotantem scriptæ An-

no 1577.



*Vid me mors spectro nunc frigida lu-
dis inani?*

*Quid laruam ostentas vanam, & sine
cuspide telum?*

*Non ea me terrent, tua nec sine viri-
bus ira*

*Incutit ista metum mihi, quin oppono miraci
Nunc tibi Victoris victricia signa potentis,
Quem vires fregisse tuas benè nouimus omnes,*

Et

Et de te victa clarum retulisse triumphum.
An nescis mors, quod mea sit victoria CHRISTI?
Eius dum meritis, precioso & sanguine nitor.
Tu mihi non vitam, sed vitæ abrumpis amaræ
Ærumnas, mihi tu requiem finemq; laborum
Adfers, tu veræ mihi consummatio palma.
Quicquid in hoc fœdæ est mortali corpore labis,
Omne id tu finis. Verè ergo dicitur illud:
In damno lucrum est, & in ipso funere fœnus.
Sat constat, quod peccati mors pœna maligni
Omnes infestes, rapiasq;, bonosq;, malosq;,
Quod nulli parcas, hominum quod nemo tuarum
Vim manuum effugiat. Verum discrimine magno
Sunt pius atq; malus, quamuis succumbat vterq;.
Nam peccatorum mortem, quæ pessima certè est,
Si DEVS est verax, multo peiora sequuntur.
Impius ex fumo in violentos incidit ignes,
& pluuia in tempestates incurrit opacas,
Dum seua obruitur diuinæ grandine pœnæ.
Corpus humo tectum nobis dormire videtur,
Somnus at insuavis verè est, expersq; quietis,
Qualis ijs, quos turbato afflictoq; cerebro,
Exercent totam sæpe horrida somnia noctem,
Cum ferus in somnis offertur latro, vel atrum
Dæmonis horrendi spectrum, speciesq; nefanda,
Quæ semper captam interrumpunt visa quietem.
Spiritus infernas vero detrusus ad umbras,
Torquetur scelerum sensu atq; angere suorum,

Horrens iudicij quas post sententia pœnas
Extremi feret æternum cum carne luendas.
Sed qui spem Christi precioso in sanguine ponit
Eius qui firmo conseruat pectore verbum,
Ille hinc surreptus, longe ad meliora vocatur,
Nec moritur, sed defessus, somnoq; solutus
Arcto, incunda dat languida membra quieti.
Ut lactens infans sugendo fessus, ocellos
Claudit, & obdormit tandem, dulcemq; soporem
Risu significat: Sic lassos occupat artus
Grata quies iusti, cum spiritus exit in oras
Æthereas liber, Paradisi gaudia captans.
Non igitur vitam finit mors atra piorum,
Sed vitæ ærumnas tristes, durosq; labores,
Qui nos conficiunt fragili hac in carne morantes.
Vita etenim nostra est Christus, qui credit in ipsum,
viuit cum moritur, nec verè extinguitur vnquam.
Christus fons vitæ est, capite ex hoc vita redundat
In corpus totum, partes & corporis omnes,
Quæ capiti innixæ firma compage coherent
Hæc vis vitalis per verbum, & signa sacrata
Insita pectoribus, mortem propellit amaram,
Vitam conseruans, quamuis commune reclamet
Iudicium sensus, tamen hoc sic credimus esse,
Cum Christus Deus hoc & dixerit, atq; probarit.
Ut qui dormit homo, viuit: Sic viuit & ille,
Qui in Christo moritur, placida fruiturq; quiete.
Ut siccam sulcis commissum semen aratis,

Corruptum

Corruptum viuit, multo & speciosius exit:
Sic & iustus humo mandatus, viuit in illa,
Quamuis putruerit, cineres resolutus in atros,
Attamen in molli viuit, dormitq; cubili.
Mox emersurus longe formosior istinc,
Aurea cum venient æterni tempora veris.
Ut viuit fœtus materna clausus in aluo:
Sic pius in Christo viuit, vitamq; latentem
Degit, dormitans busto securus in imo,
Unde olim euigilans, integro & corpore florens
Prodibit, vocem cum iudicis audiet ipsam,
Qua totum cœlum, qua terra mouebitur omnis.
His vero vinclis, tenebroso & carcere carnis,
Spiritus immundæ exemtus, viuitq; , vigetq; ,
Et ductu Angelico lucem sublatus in altum,
In qua sunt superi, statione triumphat in ista,
Conspicius niueo puri fulgoris amictu,
Ac insignitus victricis munere palmæ,
Lætus agens inter turbam, cœtumq; piorum,
Qui Christum cantant, ac eius numen adorant.
Quiq; diem expectant illam, quæ huic vltima mundo
Tandem illucescet, qua iuxta oracula patris,
Saluator cœlo noster delapsus ab alto,
Terris se ostendet, magnis in nubibus hærens,
Cinctus & angelicæ generoso robore turmæ,
Cum nos è grauidæ producet cespite terræ,
Corporibus nostris animas iuncturus easdem,
Quas mors auulsit, sed ab omni labe remotas,

AÆternæ

*A*Eternae plenas lucis, vitaeq; perennis.
Cum quoq; corporibus caelestis gloria nostris
Addita, praeiustres vero nos reddet honore.
Regali in solio iudex cum CHRISTE sedebis,
Ut promissa pijs amplissima praemia dones,
Et reprobi aeterno pendant tibi carcere poenas.
Tunc laeta optatum contingent corpora portum
Iustorum, tunc thesauris potentur apertis
Caelestis regni, CHRISTI sudore paratis.
Haec bona credentes stimulant, animosq; piorum
Augent, haec stultum pellunt ex corde timorem,
Haec faciunt, tetram ut mortem, Satanamq; malignum
Et totum quoq; non dubitent contemnere mundum,
Tunc hostes isti, qui nobis dira minantur,
Dum nos inclusi misera hac in carne tenemur,
Tunc, inquam, iudex CHRISTVS cum venerit ille,
Contriti aeternos procul abijcientur in ignes,
Non metuendi vnquam. Cum nos cum Rege potenti
Nostro caelestem simul ingrediemur in aulam,
Aulam regali vero splendore nitentem,
Delicijs plenam veris, opibusq; refertam
Perpetuis, in qua sunt gaudia, gloria, vita,
Quorum non modus est, quorum non terminus vllus.
In qua se ostendet nobis rerum ille creator,
Et rector mundi DEVS, optimus atq; supremus
Rex, Pater, & Dominus, quem contemplabimur istic
Nos animo atq; oculis, quemq; admirabimur vnum
Prae cunctis alijs, ex quo pendeimus vno,

Cuius

Cuius nos luce & vita complebimur ipsa,
Curarum expertes, & ab omni parte beati.
Victuri æternum, veneraturiq; parentem
Immensum, Christumq; Ducem, cum Flammine sancto,
Verum nempe DEVM, mundi Regemq; futuri,
Quo soli electi, sanctiq; fruuntur in ævum
Perpetuum, exclusis iniustis atq; scelestis,
Carcere squalenti quos trux arcebit Auernus,
Quiq; DEI à facie abiecti, sua facta querentur,
Sed sero, scelerum pœnas sine fine daturi.
Nos vero patria per CHRISTVM sede recepti,
Expletiq; bonis, quibus ingens regia cœli
Affluit, ex animo semper gaudebimus omnes.
Atq; DEO grates summo referemus honore.
Tunc erit illustris reparati gloria mundi,
Naturæq; status longè pulcherrimus omnis,
Atq; creatarum facies gratissima rerum
In quibus artificis bonitas, sapientia, virtus,
Maiestas, immensa potentia, mira facultas,
Verè elucebunt, totum spectanda per orbem.
Tunc nostra insigni fulgebunt corpora luce,
Iustitiæ, ac vitæ radianti ornata corona.
Tunc fortes erimus, multa & virtute potentes,
Cum veneranda DEI in nobis splendebit imago.
Cum Christo similes erimus, Domino atq; Magistro,
Eius consortes regni, vitæq; futuri.
O excellentes mutato in corpore dotes,
O admirandas renouato in corpore vires.

Non

Non id vestitum, non nutrimenta requiret
Non somnum capiet, veterem non coniugis usum
Aut operam poscet, nullius egebit amici
Auxilio, integrum erit, purum, immortale, beatum,
Angelicam vivens vitam, durabit in igni,
Atq; in aquis, muros, montes penetrabit & ipsos,
Ac è conspectu celeri, subducere motu
Se poterit, totumq; breui percurrere mundum.
O quam cunctarum præclara scientia rerum
Tunc erit, O quanta ingenij solertia nostri,
Tunc ea quæ densa modo sunt caligine tecta,
Quæ nequit humanum rectè comprehendere pectus
Sensibus, atq; oculis nostris manifesta patebunt,
Nil erit abstrusum, res nulla recondita nobis.
Omni diuinum mentis spectabit acumen
Naturam rerum, causas speculabitur omnes.
Quam vero nostros cælestis Musica sensus
Afficiet? quando Angelici sacra agmina cætus
In laudem Domini voces atq; ora resolvent.
Quorum nos numeros suaues, & verba secuti,
Ipsi etiam Domino gratos modulabimur hymnos,
Ac operam Christo, studiumq; dicabimus omne,
Et ferias, festosq; dies agitabimus istic
Continuos, nullo nos impediante labore.
Hæc magis accendent animos, sensusq; piorum,
Ut cultum Domino meritum præstare laborent,
Factaq; contendant summi celebrare parentis.
Quis satis enarret cælestis gaudia vitæ?

Nos

Nos pueri sumus hic, sapimus puerilia tantum;
Rebus de tantis non balbutimus inerti
Lingua, nec capit hac humanae angustia mentis.
Istic conuietu rursus potiemur amico
Nostrorum, quos hinc abreptos luximus ægri,
Ad quorum nomen lacrymas effudimus acres
Sæpius, hi nobis aderunt sine fine videndi.
Non etenim nos vlla sequens ibi distrabet ætas,
Nec metuenda erit vllarum conuersio rerum.
Quicquid opum magnus terrarum procreat orbis,
Atq; voluptatum, omne fugax hoc atq; caducum est;
Aut interueniens subito hoc contaminat angor,
Aut hominem multo, nec vero hoc polluit usu,
Aut si quid solidum sors ac durabile fingit,
Lenta tamen longo parit hoc fastidia sensu.
Sed finem ignorant vitæ bona cuncta futuræ,
Non euanescent, pedes stant immota tenaci.
Hinc immortalis scatet, ac æterna voluptas.
Non hanc tristitiæ mordax corrumpit acetum,
Nullus eam neuis, non labes inquinat vlla,
Non ea marcescit, non tædium adheret in usu,
Inuiolata viret, viget integra, plena, perennis,
Eius de puro nil libant secula flore.
Hæc sunt illa noui Paradisi gaudia nostri,
Gaudia quæ noster nequit hic depingere sermo.
Namq; humanarum nulla est collatio rerum
Ad res cælestes. Et quæ non vidit ocellus;
Quæq; auris non audiuit, quæ pectora nostrâ

NON

Non capiunt, ea credenti, DEVS alme, parasti.
Hæc igitur tuguri vilis structura miselli,
In quo nunc sumus, & massam quod contegit ægram,
Corporis humani, quando dissoluitur almi
Factoris nutu, tunc emigramus in illam
Cælestem, æternamq; domum, quæ mansio nostra,
Et patria est, magno CHRISTI reparata labore.
Quam, cum peccassent, primi amisere parentes,
Muletati exilio, morti obiectiq; cruenta.
Hoc graui ab exilio patriam reuocamur in ipsam
Per mortem, in vitamq; à morte reducimur ipsam
Cum morimur, Christi meritis & sanguine freti.
Utilitas ergo magna est in morte piorum,
Et quia mœrores nostros ea terminat omnes,
Et quia ad æternam lata est migratio vitam.
Ergo præclare, & sapienter dicitur illud:
Vita mihi Christus, magnum est mors pallida lucrum,
O lucrum immensum, cum punctum amittimus vnum,
Et magnam cæli, æternamq; acquirimus arcem.
Huius cum vitæ res fluxas atq; caducas,
Cum non finitis benè commutamus Olympi
Gazis. Cum turba ex hac colluieq; malorum,
Sanctorum in cætum nos, conciliumq; vocamur.
Corporis ex vinclis cum mens alta euolat ægri,
Atq; ruinosum cum linquit libera tectum.
Cum pro pannosa, lacera, sordenteq; veste,
Ex auro fulgens nobis donatur amictus.
Cum lachrymæ in risum suaue vertuntur amara,

E cano

E cæno emersis cum decernuntur honores
Perpetui, Portum quando contingimus ipsum,
Quem petimus, quo nos studio contendimus omni.
Ex hac educti densa caligine mundi,
Aeterna Patris summi cum luce potimur.
Ergo huius miseræ cum commutatio vitæ
Tanta ferat secum bona, tot tantosq; lucretur
Thesuros, quis eam fugiat? quisue horreat ipsam?
Qua fortunati vitam transimus in illam,
Quam vivit DEVS, & quæ sola est vita vocanda.
Quis, nisi mentis inops, fugere hinc non optet, & illud
Mellifluum vitæ nectar gustare beatæ?
Ut fessus cursu, longoq; labore viator
Expetit ad patrios, gestitq; redire penates:
Sic mens fracta malis, ac debilitata piorum
Cælestis patriæ affectat pacem atq; quietem.
Militi ut emerito post bellum missio grata est:
Sic optata pijs confecto missio cursu.
Ut nautæ, terram cum conspexere petitam,
Gaudent: Sic portum cum perfugiumq; laborum
Prospicimus mortem, tranquilla mente subimus.
Ergo sanctorum cum Diuo pectora Paulo
Sæpe gemunt, atq; hac lacrymarum valle relicta,
Cælestem patriam, superasq; inuisere sedes,
Cumq; suo exoptant habitare & vivere CHRISTO,
Dura ærumnosæ pertæsi munera vitæ.
Ut confectus homo, fractusq; labore diurno
Non contristatur, Phæbi properante quadriga,
C Verum

Verum aduentantem lætanti pectore noctem
Excipit, vt quæ sit gratam allatura quietem,
Quæ fessis membris humente sopore relictis,
Exhaustum sit mox instauratura vigorem:
Sic qui sentit onus, sudore ac diffluit amplo,
Urgenti vitæ curarum pondere pressus,
Finem suspirat pius, oblatamq; quietem
Amplexatur, ouans stationis sine reperto.
Qui verò metuit supremi tempora fati,
Is stolidus verè est, pueri similisq; tenelli,
Quem blanda ad dulcem cum compositura quietem
Inuoluit mater, molles & colligat artus,
Ille obluetatur, vagit, manibusq; repugnat
Et pedibus, stultè & lacrymis os fœdat amaris.
Nam fidæ curam nondum videt ille parentis,
Atq; infans somni bona non intelligit ætas:
Sic est, qui hinc agrè, inuitusq; auellitur, omnis,
Non illi propensa DEI est perspecta voluntas,
Et sua non nouit bona, magna & commoda mortis
Is non perpendit, nec CHRISTI dogmata firmo
Arripit assensu, sed multa fece grauatus
Terrestri cœni, deamat terrestria tantum,
Et carni indulgens tantum præsentia curat.
Nam caro spiritui semper vana resistit,
Et sic stulta fouet rationis somnia cæcæ.
Tu nos ergo tuo renoua, DEVS optime flatu,
Et nos viuifico renouatos instrue verbo,
Atq; fidem sancto confirma flamine nostram,

Et

Ut quæ veridici nobis cecinere Prophetæ;
Sic à te edocti. Tuus & quæ natus Iesus,
Saluator noster sacro protulit ore,
Illustrans veterum diuina oracula Vatum.
Illius & fidi quæ nos docuere ministri,
Ad nos in totum missi diuinitus orbem,
Mente amplectamur grata, studioq; fugaci
Scrutemur miranda tui mysteria verbi.
In quo est vita, salus, quod Christum monstrat Iesum
Thesaurum nostrum, vitæ fontem atq; salutis,
Humani lucem generis, decus, ornamentum,
Perfugium, robur, florem, spem, firmamentum,
In quo diuitiæ, & bona cuncta recondita perstant,
Cælesti nobis quæ conseruantur in aula.
Quem DEVS alme, tuum dilectum prædico natum,
Quo nitor solo, quem amplexor, & osculor vnum,
Quem propter mihi propitius, DEVS, esto petenti
Delicti veniam, nec eam, Pater alme, negabis,
Qui peccatorem tetra non morte perire
Vis, sed conuerso diuinæ gaudia vitæ
Promittis iurans, ne nos dubitatio frangat.
Et tu, nate DEI, mea spes, & gloria, CHRISTE,
Corporis, o bone CHRISTE, tui ne despice membrum,
Membrum equidem infirmum, pollutum, debile, languens
Sed tamen infixum tibi, & ex te respice pendens
Membrum, meq; tuo solito complectere amore,
Quandoquidem infirmos non aspernaris, IESU,
Sed laturus opem miseris carnem induis vltro,

Atq; subis insons nostræ mala plurima vitæ.
Quandoquidem peccatores hoc quæris in orbe,
Atq; laborantes ad te blande allicis omnes,
Promittens operam, venientes suscipis omnes,
Præstans, quod dicis, nec quenquam excludis egentem
Nec tantum quæris, vestigas, allicis omnes,
Sed cunctorum etiam recipis, bone CHRISTE, reatum
In te, & pro toto patiens sis victima mundo
Atq; tuo nostras emundas sanguine sordes.
Ut patre placato, tecum viuamus in æuum
Per petuum, regni hæredes, socij q; paterni.
Hoc noui, hoc credo, solo in te, CHRISTE, recumbo,
In te spes omnis, tota & fiducia nostra est,
Te fultus, mortis, Satanaeq;, ego victor abibo,
A te susceptus, cœlestia regna videbo.



DE LAPSV HV-
MANI GENERIS IN HOR-
TO PARADISI FACTO, EIVSDEM-
q; restitutione facta in horto & ligno, per
filium DEI, Dominum nostrū IESVM
CHRISTVM, ad D. BODONEM,
nouos hortos in arce Que-
delburgo paran-
tem.



*H*orti delicijs primi miser excidit Adam,
Fictoris violans iussa verenda sui.
Pulsus in exiliū, mortiq; obnoxius ille
Inuoluit magnis seq; suosq; malis.
Sed Patre cœlesti genitus, delapsus O-
lymbo,
Verus & ex casta virgine natus homo,
Insons exilium, nostræq; incommoda vitæ,
Immenso nostri victus amore tulit.
Inq; horto trepidans, roseum sudansq; cruorem,
Delicti nostri pergraue sensit onus,
Et ligno affixus, dulci cum sanguine vita
Pro nobis fusa, crimina nostra luit.
Sic vltus fraudem nobis ex arbore factam,
Mirando sane, hoc Patre volente, modo.

Mortuus hinc viridi tumulo mandatus in horto,
Fregit terrestris tristia iura necis.
Mox rediens viuus, postquam lux tertia fulsit,
Inq; horto statuens clara trophæa nouo,
Horti delicias primi, patriamq; perennem,
Et vitam nobis se reparasse docet.
Hunc horti instauratorem quæramus, amemus,
Admiremur, ad hunc rectum ineamus iter.
Non hæc sit tanti fallax & vana voluptas,
Ut per eum partas non me ditemur opes.
Somnia sunt, quæcumq; fugax hæc vita ministrat,
Nec nostra hæc atro gaudia felle carent.
In cælis plena est, firma, & sincera voluptas,
Ex veris ibi sunt gaudia vera bonis.



EPITA-

EPITAPHIUM

GENE ROSAE ET
NOBILIS DOMINAE, D.
MAGDALENÆ COMITISSÆ STOL-
BERGENSIS & VVernigerodensis &c. Con-
iugis Generosi & inclyti Domini D. VL-
RICI, Comitis & Domini in Reinstein &
Blanckenburg &c. quæ obiit diem
suum, Anno Domini 1546. die
Nouemb. 19. anno æta-
tis suæ 35. Coniu-
gij vero

17.



Quam vita innumeris nostra hæc expo-
sta periculis,
Quam pateat tumidis fortuna flatibus
ipsa,
Quam non splendenti sit tutum credere
sorti,

Sed semper rebus fraus sit metuenda secundis:
Hæc nos Herois tristi docet inclyta casu,
Quæ Comitis fuerat quondam clarissima coniunx
ULRICI, nomen cui saxo incisa rigenti
Arx dedit, & Blanckenburgi nitidissima sedes.
Mutuus hos amor, & concordia grata ligabant

C 4

Qua

Quæ vel summa domus rectè meritoq; putatur
Esse salus, huius vinculum firmissimum amoris
Ipsa adeo pietas erat, & pulcherrima virtus,
Cor quibus accensum verè lucebat vtrinq;,
Coniugium hoc ergo felix DEVS esse iubebat,
Fœcundam & dulci faciebat prole maritam.
Ex hac sunt nati, BODO laudatissimus Heros,
Et CASPAR patris VLRICI quoq; nomine clarus,
Qui iam naturæ persoluit debita nostræ.
Dehinc & filiolas tres est enixa venustas,
Quarum quæ prima est, nomen sortita MARIÆ,
Præclaro Comiti MARTINO est nupta, Magistro
Teutonice turmæ, cui quondam Ecclesia curæ
Sancta fuit, quæ pro CHRISTI pugnauit honore.
Sed mediam VOLKMARVS habet generosus in Hon-
Et Lora Comes & Dominus, virtute decoram (Stein
Eximia, matris præclaro nomine notam.
Quæ minima est natu, prælustri ELIZABETH, almo
Dante DEO, Quedelburgi est dignissima Princeps.
Et sermonis amans, CHRISTI, reuerensq; ministros
Verbi, iusticiæ, legum, pacisq; patrona.
Hos partus primùm feliciter edidit illa,
Sed sextum tumida fœtum cum ferret in aluo,
Proh dolor, infando miserè est consumpta labore.
Nam domus à media cum Blanckenburgica nocte
Arderet, manibus serui inflammata scelesti,
Collapsis gradibus præclusus & exitus esset,
Et consulturi vitæ, quacumq; liceret

Euitare

Euitare malum tentarent, perq; fenestras
Demissi ruerent trepidi, turpesq; cloacas,
Ipsi autem Domine grauidæ via nulla pateret
Qua fugeret, mortis præseni immersa periculo
Diræ, cum fida permansit sola ministra,
Et, quod tunc potuit CHRISTVM implorauit IESVM,
Atq; eius meritis, precioso & sanguine nixa,
Fortius infensi fati est perpeffa furorem,
Atq; animam medio sic expirauit in igni.
Quæ cum flamma domus tristi est extincta ruina,
Tandem in complexu fidæ est inuenta ministræ
Hærens, inq; sinu materno mascula proles.
Hoc quo sancta die celebratur Elizabeth ipso
Factum est, nempe die decimo nonoq; Nouembris.
O graue spectaclum, misero tria corpora casu
Enecta, atq; modo leti confecta nefando.
Sic aduersa pijs fors est, sic inuida iustos
Fata premunt miserè, nimium vexantq; frequenter.
Cum vero in terris iustos mala tanta fatigent,
Quos & amat DEVS, & consortes, CHRISTE, bonorū
Vult regni esse tui, de illis quid porrò futurum est,
Quos DEVS horrendi tenebris damnauit Auerni?
Certe illi, licet hic florenti sorte fruantur,
Attamen æterni posthac cruciatibus ignis
Subiecti, infinitum torquebuntur in æuum.
Sed iusti, varijs quos hoc exercet in orbe
Casibus æternus Pater, vt post parcat in æuo
Venturo, quanquam fato delentur acerbo,

Attamen in patris summi sunt vsq; fauore,
Et læti, cunctis hic defunctiq; periclis,
Hinc ad cœlestis discedunt gaudia vitæ.
Sic hæc Herois pietatis amore, fideq;
Excellens, altoq; gerens in pectore CHRISTVM,
Quamuis occiderit violenta morte premta,
Attamen è flamma media hæc erepta voraci,
Atq; hinc ad patriam cursu delata secundo
Cœlestem, dulci gaudet, fruiturq; quiete,
Eius & augusti pars est clarissima cœtus,
Qui magni cœli celeberrima templa frequentat.

EPITAPHIUM

GENEROSI ET
INCLYTI DOMINI, D.
VLRICI, COMITIS ET DOMINI
in Reinstein, & Blanckenburg, qui de-
cessit anno CHRISTI 1551. an-
no ætatis suæ 52. Domini-
ca Palmarum.



Xoris fatum lugens VLRICVS acerbũ,
Multa & consumptus tandem cura,
atq; labore,
Quinto post anno (quod sæpe optaue-
rat ipse)

A patre

A patre dimissus summo, sociamq; secutus
Charam, caelestem recta migravit in arcem.
Cui iuveni primum Mansfeldia nupserat vxor,
BARBARA, praestanti forma, & virtute decora,
Ex hac ERNESTVS genitus laudabilis Heros,
Moribus ingenuis referens, facieq; parentem.
Hoc mors coniugium cum dissoluisset iniqua,
MAGDALIS VLRICO post altera iungitur vxor.
Quam pius hic fuerit, quam relligiosus, & acer
Veri defensor, paucis non dixero verbis.
Qui cum Saxonis lux effulsisset in oris
Caelestis verbi, tenebras abigente Papatus
Patre DEO, lucem complexus protinus ipsam
Arripuit laetus doctrinae dogmata pura,
Inq; sua hanc voluit populum ditone doceri,
No metuens odia, aut adiuncta pericula verbo.
Quam vero humanus, quam affabilis, atq; benignus
Erga omnes fuerit, quam mira modestia vitae,
Quam suaves fuerint mores, gravitate decenti
Tincti, quam pacis studiosus, amansq; quietis
Tranquilla fuerit, charis quam fidus amicis,
Quam largus, curto licet haud depingere versu.
Eius praecellens vero patientia visa est,
Tunc Blanckenburgi cum saeva incendia sedem
Vastassent, ac is rabido quoq; laesus ab igni,
Extremo ereptus vix ex discrimine vitae
Esset, & vxorem gravidam amisisset in igni.
Hæc mala tanta, viri pectus quæ frangere fortis
Robustum

Robustum possent, toleranter pertulit ille,
Utq; piū decuit Comitem, Christi q; ministrum,
In cruce se fortem exhibuit, magnumq; ferenda.
Qui lecto positus, cum iam decumberet aeger,
Non, inquit, rerum iacturam & damna mearum
Deploro, quamuis grauitcr me laeserit ignis,
Fortunasq; omnes, & quæ mihi chara fuere,
Plurima perdiderim, leuius tamen omnia ferrem,
Ab mea si saltem charissima viueret vxor,
Huius ego infelix miserandam lugeo mortem.
Hanc tamen ipse breui, certo quod spero, videbo
Hæc me sustentat miserum fiducia semper.
Sic onus impositum tolerans Vlricus, in ipso
Spem posuit, qui nos peccati mole leuauit,
Ac reliquum leue fecit onus, qui pondus iniquum
Gestans præcessit, cuius vestigia tuti
Nos sequimur, firmis qui nos quoq; viribus armat
Et robur præbet, mala quo perferre queamus,
Atq; hoc emensi mare, transcendamus ad ipsum,
Cumq; ipso tandem promissa pace fruamur.
Sic oneri obnixus duro celeberrimus Heros
Ulricus, sacri & suffultus robore verbi,
Pertulit aduersam constanti pectore sortem.
Et voti compos tandem hæc ergastula linquens,
Liber & ætheream recta transgressus in arcem,
Istic nunc habitat, vitam viuitq; perennem,
Summi conspectu Regis, patrisq; beatus.

Sed

*Sed laus virtutum nostris illustris in oris ;
Tempore non vlllo hic intermoritura vigebit.*

EPITAPHIUM

GENEROSI ET
INCLYTI DOMINI D.
VVOLFGANGI, COMITIS IN STOL-
berg, Königstein, Rutzefort, & VVerni-
geroda, Domini in Epstein, Mint-
zēberg, Breuberg &c. qui hinc
migravit Anno 1552.

Anno ætatis

51.



*Vi patre magnanimo satus es VVOLF-
GANGE Bodone,*

*Ac ANNA genitrice pia, spes prima
parentum;*

*Post quem fœcundi bis sex sunt pigno-
ra lecti*

*Nata; DEO gentem sic amplificante vetustam.
Quanquam sint multi, terras quod liquevis, anni;
Non tamen hic possum magnas non tangere laudes
Fama quibus celebris cœlum te tollit in altum.
Tu patris similis, multa virtute micabas,
Excultumq; bona doctrina pectus habebas;*

Hinc

Hinc Halberstadij munus tibi praesulis amplum
Oblatum recipis, studio summoq; gubernas.
Sed tibi conditio cum non satis ista placeret,
Ac Patre sublato, patriæ te cura regendæ
Urgeret maior, totis tu viribus istas
Aggrederis partes, studiumq; incumbis in illud,
Ut patriæ prosis, vitaq; priore relicta
Celibe, consortem tibi corporis atq; bonorum
Associas, animi donis, formaq; politam
Eximia, Reinsteiniaca de stirpe creatam,
Cui breue curriculum vitæ cum fata dedissent,
Rursus VVittiaca natam de gente, (iuuante
Patre D E O) stabili iungis tibi fœdere nympham.
Môribus ingenuis, facie, cultuq; venustam.
Quam, cum te pulchra fecisset prole parentem,
Ardenti merito complectebaris amore.
Sed te, iam vitæ lustris bis quinq; peractis,
Fortiter & patriæ res, & sapienter agentem,
Primo post anno, manibus mors opprimit atris,
Atq; tuas operas, & pulchros disijcit actus.
Nec solum te à complexu mors tetra tuorum
Auellit, sed post etiam mæstissima coniunx
Natis eripitur quatuor, natæq; , tenellis.
O miseram vitæ rationem, o mortis acerbum
Imperium, O fati crudelia iura superbi,
Cui nos peccati subiecit fœda libido.
Sed quid fata queror? quæ sunt gratissima iustis,
Quæq; optanda pijs, votisq; vocanda videntur.

Nma

Nam mors peccati quamvis sit pœna maligni ;
 Attamen illa parum non in credentibus ipsis
 Utilitatis habet , nam sese terminat ipsa ,
 Atq; omnes finit , quos hæc fert vita , labores ,
 Estq; adeo ad tutam migratio fausta quietem .
 O nimium miseros , si hæc non excedere vita
 Extremum ante diem , mundi finemq; liceret .
 Heu quam longa esset , quamq; infinita malorum
 Pertexenda homini tristi molimine tela .
 Clemens ergo Deus , fatum miseratus acerbum
 Humani generis , vitam præcidit amaram ,
 Et vitæ ærumnas simul , innumerosq; labores .
 In putres rursus redigitq; hæc corpora glebas ;
 Ex hoc squallentis servili ut carcere carnis
 Exempti , duro nos defunctiq; labore ,
 In nostris positi tandem , clausiq; sepulchris ,
 Molliter in lecto tanquam recubemus amico ,
 Gratam expectantes exortum dulcis IESU ,
 Solis iusticiæ , qua nox obolebitur omnis ,
 Quo mors terribilis tandem absorbebitur ipsa ;
 Atq; pijs veteres cum restituentur honores ,
 Perfusis & luce nova , vitaq; perenni .
 Ergo & tu velut in molli **VVOLFGE** cubili
 Nunc generose iaccs , opera feriatus ab omni ,
 Et tua nunc tecum **GENEVE** dilecta quiescit ,
 Pars vero potior **CHRISTI** in complexibus hæret ;
 Et cœli portu spaciosi gaudet amœno .
 Quo velis fidei passis , ventisq; secundis

Flaminis

*laminis augusti nos perueniamus vt omnes
axit, qui summa solus dominatur in aula.*

EPITAPHIUM

GENEROSAE ET
NOBILIS DOMINAE D.
MARIAE, COMITISSAE STOLBER-
gensis & VVernigerodensis &c. vxoris
Gererofi & inclyti Domini, D. CVNON-
NIS, Comitissae Leinen & VVester-
burg &c. quæ mortua est anno
1571. anno ætatis
suæ 64.



*Quæ fuerat quondam generoso nupta
CVNONI,
Nunc cubat in tumulo casta MA-
RIA suo.*

*Annos quæ multos post tristia fata ma-
riti*

*Vixerat, officij munere functa graui.
Quæ vitæ septem decies absoluerat annos,
Cum defessa loco cederet illa suo.
Illa enixa mares tres est, quatuorq; puellas
Præstantes, socij pignora chara thori*

Quos

Quos, ut fida parens, post fata suprema mariti,
Semper præceptis imbuit ipsa bonis.
Ac illis vitæ dux, virtutumq; magistra,
Et morum rectorix, officijq; fuit.
In primis, viduam sicut decet vsq; fidelem,
Assiduo coluit pectore & ore DEVM.
Et Salvatorem CHRISTVM amplexata benignum,
Illius ex grata tota pependit ope.
Illius & verbo studuit, verbiq; ministros
Affecit digno semper honore sacros.
Ac sibi subiectos, cæcum totumq; bonorum
Iuuit consilijs, officijsq; pijs.
Sed vitæ spacio, dederant quod fata, peracto,
Ad gentem cupidè est illa profecta suam.
Atq; ex his tenebris in lucem excessit amicam,
Lucem, in qua summum conspicit illa DEVM,
Conspectuq; eius verè exhilarata, quiescit,
Ac cæli magnas læta tuetur opes.
Nunc ubi cum dulci cernit plerosq; marito,
Quorum discessum luxerat ante citum.
Cumq; his æterni collaudat nomina Regis,
Cuius concessu munera tanta tenent.

D

EPI-

EPITAPHIUM

GENEROSI ET
INCLYTI DOMINI D.
HENRICI, COMITIS IN STOLBERG,
Konigstein, Rutzefort, & VVernigeroda,
Domini in Epstein, Mintzenberg,
Breuberg &c. qui mortem o-
bijt anno 1572. die No-
uembris 13. anno
ætatis 63.



NON equidem immerito generosi fata
mariti

Henrici luget grauiter castissima con-
iunx.

Et cum matre simul tres nati, & nata
parentis

Digressum deflent, animis solatia mæstis
Non admissuri. Nam spes intercidit omnis
Cum genitore pio, cupido quam corde fouebant.
Magna viri pietas, flagransq; in pectore verbi
Diuini studium meruit celeberrima laudis
Præmia, nec posthac vlllo ignorabitur æuo.
Qui magnas neglexit opes, qui spreuit honores
Eximios, saltem vt CHRISTI seruare lceret
Sermonem, atq; DEI veros defendere cultus.

Quinq;

Quiq; boni sortem, salua quam mente tueri
Posset, consuluit, non amplius ulla requiren.
Hunc ergo tristi nunc gens Stolbergica questu
Prosequitur merito, fletu ac deplorat amaro
Sed flendi esto modus, ne conficiantur acerbo
Et molles animi, eneruataq; corpora, luctu.
Quid prodest etenim nimio indulgere dolori?
Lamentisq; a deo totum se dedere vanis?
Non prece, non lacrymis ille est reuocabilis ullis,
Qui semel hanc vitam, Phœbi lucemq; reliquit.
Non redeunt ad nos, qui nos mundumq; valere
Iusserunt. Sed quisq; suo post tempore nostrum,
Cum Domino visum fuerit, veniemus ad illos.
Nec cupiunt ad nos animæ remeare beatæ,
Quæ vitæ alterius secura pace potitæ,
Ditatæq; bonis, quæ magnus præbet Olympus,
Pauperiem nostram, sudores atq; labores,
Ac ærumnosæ si quæ sunt gaudia, vitæ,
Despiciunt hilares, ea nec meminisse laborant.
Nec si vel totum possent acquirere mundum,
Ad nos ex ista cælesti pede redirent.
Non obiit, verum hinc abiit celeberrimus Heros
Henricus, celsi & factus nouus incola cæli,
Supremi regnum, maiestatemq; Monarchæ
Miratur, puro diuinæ lucis amictu
Fulgens, ac illa iam nunc illustris in aula.
Sed consopitum somno nunc corpus in almo
Telluris matris gremio cubat atq; quiescit,

Atq; Redemptoris reditum meditatur IESV,
Qui dormitantes diuina voce ciebit,
Ac experrectos, æternæ & munere vitæ
Donatos, immortalis exornabit honore.
Tunc cum perfusi cœlesti luce, supremi
Augustum Regis numen venerabimur omnes,
Tunc generosa tuum spectabis Elisa maritum.
Quo non in terris fuerat tibi charior ullus,
Cui quoq; tu fueras omni preciosior auro.
Hunc tu fulgentem fulgens cum prole idebis
Fulgenti, nec vos vllum vnquam distrahet æuum.
Hæc quoties studio bene commentaberis acri,
Curæ & mærores animi pellentur inanes,
Et pia concipies fidenti gaudia mente.



EPI-

E P I T A P H I V M

REVERENDAE
 ET GENEROSAE PRIN-
 CIPIS, ET DOMINAE, D. ANNAE,
 Abbatissæ Quedelburgensis, Comitissæ
 Stolbergensis, & VVernigeroden-
 sis, quæ ex hac vita emigravit,
 Anno 1574. 4. die Martij,
 cum compleuisset
 annum æta-
 tis 70.



He cubat in tumulo princeps Venerabilis
 ANNA,
 Laus Stolbergiaci, fama, decusq;
 soli.

Quæ decies quinos, ac octo fideliter an-
 nos,

Dante DEO, res hoc est moderata loco.
Quæ vitæ decies septem compleuerat annos,
Cum vocat hanc longa de statione DEVS.
Hanc commendabant pietas, mens nescia fastus,
 Iustitia, & rare dona pudicitia.
Hanc affabilitas, bonitas, clementia, candor,
 Ornabant, morum conspicuusq; decor.

D 3

Erigere

Erigere hæc miseros solita est, ægrisq; mederi,
Quorumuis duram commiserata vicem.
Hæc complexa suos, tanquam fidissima mater,
Qua potuit semper fouit, & auxit ope.
Verum huic, quæ mundi est mala consuetudo maligni
Gratia pro meritis sæpe relata mala est.
Non tamen hinc vnquam bene desijt ipsa mereri,
Vere mandatum, CHRISTE, secuta tuum.
Hæc summo Spartam studio exornauit adeptam,
Non operæ parcens, officiosa suæ.
Has etiam sedes quod sumptibus auxerit amplis,
Magnificæ ostendunt splendida tecta domus.
Magnis sæpe malis, magnis perculsa periclis,
Non tamen est vlllo debilitata metu.
Sed rem committens cælum terrasq; tuenti,
Indefessa suum præstitit officium.
In morbis patiens fuit hæc, toleransq; dolorum,
Nempe voluntati subdita tota DEI.
Sed languore graui, multo & confecta labore,
Auctori vitam reddidit ANNA Deo,
Atq; suam relinquens, cælestem euasit ad aulam,
Promissa à CHRISTO pace potita suo.
Corpus in hoc gelidum latet, atq; exangue, cubili,
Expectans animus quod modo saluus habet.

Beati

BEATI MORTVI, QUI
in DOMINO moriuntur

Apoca : 14.

Spes quibus in Domino est morientibus vltima Chri-
His patet excelsi regia celsa DEI. (sto)

EPITAPHIVM

GENEROSI ET
INCLYTI COMITIS ET
DOMINI D. LVDOVICI, COMITIS
in Stolberg, Konigstein, Rutzefort, &
VVernigeroda, Domini in Epstein, Mint-
zēberg, Breuberg &c. qui ex hac vita re-
cessit Anno CHRISTI 1774. die
Bartholomæi, qui incidit in 24.
Augusti, anno ætatis
suæ 69.



*R*aro equidem pullam domus ab Stol-
bergica vestem
exuis, vsq; adeo te mors infestat aua-
ra.
Quæ post Henricum Comitem, gemi-
nasq; sorores

D 4

Raptas

Raptas, nunc etiam *LVD'OVICVM* stravit adunca
Falce, decus, lumenq; tuæ venerabile gentis.
Qui multum ingenio, virtute, ac arte valebat,
A teneris fuerat Musis qui deditus annis,
Ac fontes rerum studio sectatus honesto,
Doctrina pectus multa compleuerat altum,
Qui bene cælestis cognorat dogmata verbi,
Et veri seruans, errores oderat omnes.
Multiplici rerum qui cognitione vigebat,
Nec solum patria poterat, quæcumq; volebat,
Verum etiam Latia neruose dicere lingua,
Hinc pius, & sapiens, acer, grauis, atq; modestus,
Hinc animi magni vir, consilijq; fidelis,
Et verè humanus, suavisq; euaserat ille,
Ac alios inter multo ornatissimus Heros.
Has ergo ob dotes hunc Carole Cæsar amabas,
Hinc Ferdinando fuit hic iucundior hospes.
Hunc à se auulsum plangit castissima coniunx,
Huius iam deflent generosæ funera natæ.
Hunc lugent generi, fratres, omnesq; propinqui,
Et ciues patriæ mærentq;, gemuntq; parentis
Iacturam, atq; pium lacrymis testantur amorem.
Sed magni spectans miranda palatia cæli,
Ac summi venerans *LVD'OVICVS* numina Regis,
Tanta triumphanti nunc sentit gaudia mente,
Ut mortale nihil norit, nec cogitet istic,
Et nostri oblitus, rebus sit totus in istis,
Delitijsq;, quibus prædiues abundat Olympus.

Ergo

Ergo locum quod mutarit feliciter Heros
Magnanimus, vita longè meliore potitus,
Nunc gratemur ei, ac eius faueamus honori.
Et nos peruigili studio, curaq; paremus,
Ut vitæ nostræ postrema vbi venerit hora,
Mortis victorem CHRISTVM teneamus IESVM,
Qui nobis proprio reparauit sanguine vitam,
Unica & ad celsum nobis est semita cælum.
Tu vero fragilis dimisse è carcere carnis,
O desiderium LVDOVICE beate tuorum,
Salue, & cælicolas inter nunc viue beatos,
Quosq; tuo cineri, tumuloq; dicamus honores,
Accipe, & in CHRISTO saluus nunc viue, valeq;.



D 5

EPI-

EPITAPHIUM

REVERENDI, GENEROSI, ET INCLYTI
COMITIS ET DOMINI, D. CASPARI
VLRICI, Abbatis Monasterij Michel-
steinensis, præfecti Ecclesiæ Naumburgen-
sis, Comitis & Domini in Reinstein &
Blanckenburg &c. qui hanc vitam
deseruit anno Domini 1575.
die 16. Decembris,
anno ætatis
suæ 45.



T CASPAR cecidit, generosus & opti-
mus Heros,
Blanckenburgiaci gloria magna soli.
Præsidium patriæ, firmamentumq;
suorum,
Ordinis eximius splendor, honosq; sui.
Hospes Musarum, veræ pietatis amator,
Virtutum cultor, perpetuusq; comes.
Qui iuuenis pulchro Musarum accensus amore,
Sectatusq; Aretes præmia magna bonæ,
Gallorum terras, Latijq; inuiserat oras,
Intrepido aggressus mille pericla pede.

Vnde

Unde bonis animi, veroq; ornatus honore,
Ad patrias redijt dignior ille lares.
Voceq; Cæsarea Spiram accersitus ad urbem,
Extitit imperij pars veneranda fori.
Post contra illicitas Veneris sibi Pharmaca flammæ
Quærens à summo certa parata DEO,
Adiungit dulci sociam sibi fœdere vitæ,
Virtute, & vera nobilitate parem.
Hanc dum naturæ ius, diuinumq; secutus,
Diligit vt partem corporis ille sui:
Illi continuo satum aduersatur iniquum,
Nec sinit esse pij gaudia plena thori.
Nam nullos sterilis fructus fert lectus amoris,
Et cepto optatus fœdere finis abest.
Sic subiecta cruci semper domus esse piorum
Consuevit, iusto sic statuente DEO.
Nec sola hæc animos ærumna affligit amantum,
Sed grauius premit hos, exanimatq; malum.
Namq; valetudo Casparum incommoda vexat,
Obstans & studijs, officijsq; pijs.
Et quamuis medici non desit cura fidelis,
Non tamen infestum tollitur arte malum.
Intima sed pallens inuadit viscera tabes,
Quam sequitur tacito mors properata pede
Hac conflictatus lue, cor CASPARVS in vno
Défixum CHRISTO principe semper habet.
Eius dum plagas, & vulnera sancta tuetur,
Non sentit plagas corporis ille sui.

Sed

Sed CHRISTI passi vestigia certa secutus,
 Victorem ad CHRISTVM flectit anhelus iter.
 Hinc inuicta malis in eo patientia luxit,
 Hinc illæ ardentes assiduæq; preces.
 Quas tandem celsi Rex exaudiuit Olympi,
 Cum tulit optatam sæpe vocatus opem.
 Atq; his ereptum terris, in regna recepit
 Cælica, perpetuis regna referta bonis.
 O te felicem, verè & CASPARE beatum,
 Cui cito cum CHRISTO contigit esse tuo.
 Nos his inclusi carnis compagibus agræ
 Dum sumus, heu verè turba misella sumus,
 Fortunæ expositi telis, ac mille periclis,
 Obiectiq; dolis, mors truculenta, tuis.
 Sed tu eluctatus verè Caspare triumphas,
 Et CHRISTO grates voce, animoq; refers.
 Per quem subuectus, terrena sede relicta,
 Nunc Patris excelsi cælica regna tenes,
 Heroasq; inter sanctos solido auctus honore,
 Aeterni Regis numina magna colis.



EPI-

EPITAPHIUM

GENEROSI ET
INCLYTI DOMINI D. BO-
DONIS, COMITIS IN STOLBERG,
Konigstein, Rutzefort, & VVernigeroda,
Domini in Epstein, Mintzenberg,
Breuberg &c. qui è vita exces-
sit, anno CHRISTI 1577.
die 29. Martij, anno
ætatis suæ

29.



*H quis non plangat generosi fata BO-
DONIS,
Desertus medica qui ager ab arte
cedit?
Cui finem morbi tandē lux attulit illa,
Quæ fuit & vitæ meta suprema brevis.
Qui patre dignus, auoq; suo, & maioribus amplis,
Splendor erat stirpis, lumen, honosq; suæ.
Cuius præclari specioso in corpore mores,
Plenus & humani sermo leporis erat.
His qui in multorum sese insinuârat amorem,
Et charus Ducibus, Principibusq; fuit.*

Cuius

Cuius & ingenium præstans, animosaq; virtus,
Viuerè Nestoreos digna fuere dies.
Hunc atra in primo iugulat mors flore iuuentæ,
Mors manibus violans optima quæq; suis.
O verè fragilem misero hoc in corpore vitam,
O vitæ exiguum hoc & breue curriculum.
Sic nostra in medio sæpe (heu) contentio cursu
Frangitur, & portum non tenet illa suum.
Sic Stolbergiaca cadit expectatio gentis,
Atq; ingens generis spesq;, decusq; perit.
Sed quid multa queror? fuit hæc diuina voluntas,
Hoc certum est Domino sic placuisse DEO.
Qui solus rerum causas, & fata gubernat,
In cuius sita sunt omnia nostra manu.
Ni velit ille, pilus nostro de vertice nullus
Decidit, & nostra est dinumerata coma.
Non igitur quicquam poterit contingere nobis,
Hoc ni permittat, ni velit ipse DEVS.
Cum pænæ impendent tristes mortalibus ægris,
Mundo & tempestas imminet atra malo.
Tunc iustos fluctu ne comprehendantur ab illo,
Et bonus, & clemens colligit ante DEVS.
Inq; suo vt lateant tecti, tutiq; cubili,
Præpropera sanctos abripit ille manu.
Iustus, ait Salomon, citius licet occidat ille,
Attamen in tuta pace quietus erit.
Qui pius est, gratusq; DEO, maturius illum
Sæpe ex hac transfert colluione DEVS.

Atq;

Atq; ideo citius turba ex hac abstrahit illum,
Ne bona mens vitium, nequitiamq; trahat.
Neue animum rectum vulgi malus imbuat error,
Nec perdant animam dogmata prava piama
Nam facile in iuvenes morum contagio serpit,
Inq; malum prono pectore fertur homo.
Electus persape suos cito conficit annos,
Et complet cursu tempora longa breui.
Cur placeat Domino, festinus is auocat illum,
Et vitæ properans amputat omne malum.
Sic etiam citius B O D O præstantissimus Heros
Absoluit vitæ tradita pensa sua.
Atq; labore suo defunctus fortiter omni,
Otia iam cessans, & feriatu, agit.
Et mundo multam cum dixerit ille salutem,
Infesti mundi nulla pericla timet.
Et vera patria, cælesti & sede potitus,
Iam de terrestri nil ditione petit.
Non de delicijs nostris, opibusq; laborat,
Atria qui summi nunc tenet ampla DE I.
Non cupit hanc miseram, duramq; reuisere vitam,
Qui iam cum CHRISTO viuit, ouatq; suo.
Istic qui patruos, & auos, dulcesq; parentes,
Cum quibus æterno tempore viuat, habet.
Istic plus solidi momento gaudij in vno est,
Quam fragilis vita hæc omnis habere potest.
Ista igitur Comiti quod vita beata B O D O N I
Contigerit, summo est gratia habenda DE O.

Sed

*Sed tu Saluator nostri quoq; CHRISTE memento,
Dum miseri dura hac in statione sumus.
Et cum finis adest, nostri miserere laboris,
Et nos contra hostes protege, CHRISTE, feros,
Discessumq; tuis placidum largire ministris,
Tu migraturis sis via, vita, salus.*

EPITAPHIVM

ILLVSTRIS ET
GENEROSAE PRINCIPIS
ET DOMINAE, D. CATHARINAE, Co-
mitissæ Stolbergensis, & Vvernigeroden-
sis, Illustris & Generosi Domini, D. AL-
BERTI, Principis Hennenbergen-
sis &c. vxoris, quæ vitam natu-
ræ reddidit, Anno Do-
mini 1577. die 18. Iu-
nij, anno æ-
tatis suæ

63.



*T CATHARINA suæ confecto munere
vitæ,
Te, BODO, subsequitur, fata mo-
uente DEO,*

Sed

Sed te præcipiti iuuenem mors inuida lege
sustulit, hæc senio debilitata cadit.
Cum post sex decies annus iam tertius iret,
Fatalis multis qui solet esse bonis.
Hæc cui nota fuit, turba celebratur ab omni,
Laudibus hanc omnes ardua ad astra ferunt.
Hoc eius meruit pietas, ac inclyta virtus,
Et veræ verus religionis amor.
Hoc in subiectos meruit clementia mira,
Inq; bonos ingens eximiusq; fauor
Hoc eius meruit memoranda modestia vitæ,
Et matronalis cura pudicitia.
Quæ cum coniugij leges, viuente marito,
Summa seruasset, sollicitaq; fide,
Defuncto quoq; casta fidem seruauit eandem,
Dum cubuit viduo tempora longa thoro.
Interea, vt sunt res humanæ, mille labores
Pertulit, & vitæ plurima passa mala est.
Et qui nonnunquam possent releuare dolentem,
Nati aderant nulli, pignora nulla thori.
Et viduæ telis expositæ sortis iniquæ,
Sæpius humana destituuntur ope.
Verum præsidio viduarum hæc nixa parentis,
Et pupillorum, valde animosa fuit.
Utq; decet viduam, noctesq; diesq; precata,
Spem in solo posuit, subsidiumq; , D E O.
Nec se frustratam vidit, sed vota valere,
Atq; suas sensit pondus habere preces.

E

Ergo

Ergo suum tutata locum, vim sortis iniquæ
Fixo perpeffa est, sustinuitq; pede.
Nec tantum flatu fortunæ est vsa sinistro,
Verum etiam morbos est ea passa graues.
Hinc & perpetuæ medicorum subdita curæ.
Ad res tractandas non satis apta fuit.
Attamen, vt potuit, studio curauit anhelò,
Vt rectè fierent, quæ facienda forent.
Hanc fessam tandem, suspirantemq; quietem,
Transtulit è terris in sua regna DEVS.
Abstersis lacrymis, omniq; leuata dolore,
Istic vt summo gaudeat ipsa bono.

Beati mortui, qui in
Domino moriun=
tur. Apoca. 14.

Qui fidit moriens morientis sanguine CHRISTI,
Is victor recta tendit ad astra via.

Epicedion

EPICEDION

GENEROSAE ET
NOBILIS DOMINAE, D.
ELIZABETH, COMITISSAE
IN GLEICHEN ETC. GENEROSI
& inclyti Domini HENRICI Comi-
tis in Stolberg & VVernigeroda &c. vxo-
ris, quæ lucis huius vsuram reddidit,
Anno CHRISTI 1578. die
26. Iunij. Scriptum

AD

GENEROSOS
ET PRÆCLARÆ IN-
DOLIS COMITES, D. BODO-
NEM, D. LVDOVICVM GEORGIVM, ET
D. CHRISTOPHORVM, HENRICI
Filios, Comites in Stolberg &c.
Dominos suos clementes.



*Cilicet amissū rursus visura maritū,
Hinc ad cælestes migravit ELIZA-
BET oras
Illa lubens equidem vita hac excessit
amara,*

E 2

Sed

Sed nati charam inuiti amisere parentem.
Tota domus siquidem solam spectabat in illam,
Sola ea restabat spes perfugiumq; suorum
Sed quod constituit DEVS, hoc mutabile non est,
Suis & arbitrio frustra caro nostra repugnat.
Et cum perpetuo bona sit diuina voluntas,
Nos reuerenter ei semper parere decebit.
Nam Patris vt summi fiat propensa voluntas,
Quotidie exemplo CHRISTI, iussuq; precamur.
Ergo DEVS bona quæ confert quamplurima clemens
In nos, si accipimus, letanti his corde fruenteis,
Cur mala, quæ Pater, & Dominus determinat idem,
Cur ea non, inquam, placida quoq; mente feramus?
Cur non dicamus? Dominus dedit, abstulit idem,
Ut Domino placuit, sic factum est, omnipotenti,
Laudetur Domini sanctum omni tempore nomen.
Namq; Deum benè velle pijs, ipsosq; fouere,
Certum est, hoc grata quoq; nos agnoscere mente
Debemus, quamuis nobis crux dura, grauisq;
Incumbat, tamen est animus patris vsq; paternus
In nos supremi, qui nos non verberare cedit,
Ut perdat, sed vt ad meliorem pectora frugem
Conuertat, nobis vt passio proffit acerba,
Ut sic crudiat, securosq; excitet omnes,
Eius vt ad patrios totos se fingere nutos,
Rebus & aduersis soli illi fidere discant.
Hanc etiam ob causam nobis sæpe eripit illos

In quorum auxilio nimium speramus, amicos,
His ut sublatis, ex illo pendeat vno
Cor nostrum, solo semper nitatur & illo.
Sic erepta suis mater fidissima natis,
Triste sui desiderium, magnumq; reliquit.
Sed DEVS hanc voluit citius sua regna videre,
Optataq; frui requie, dulcisq; mariti
Inte; honoratos splendorem cernere manes.
Vos vero, Comites, vos dico, parentibus orbos,
Consilijq; inopes, fidi & rectoris egentes,
Vos DEVS ex bonitate sua pendere paterna,
Auxiliumq; suum crebris vult poscere votis.
Nec quin huic curæ sitis, dubitabitis vnquam,
Orphani enim & viduæ se nominat ipse parentem,
Hisq; ut subueniant, per sanctos sæpe Prophetas
Quoslibet hortatur, proponens præmia factis.
Clemens ergo DEI sit vobis grata voluntas,
Egregij Comites, virtutisq; indole clari,
Huic studia, & vestros vbi consecrabitis actus,
Hunc vbi continuis precibus, votisq; coletis,
Vestris ipse aderit rebus, vestrosq; iuuabit
Conatus, his euentus tribuetq; secundos,
Ornatusq; suis donis vos tollet in altum,
Et celebres tandem vero cumulabit honore.
Interea studijs curas propellite vanas,
Et vos cum Musis vsq; oblectate decoris.
Ac impressa patris quæ extant vestigia vestri

*Virtutum, his gradibus studiosè insistite plenis,
Eius vt in vobis dulcis splendescat imago,
Et transfusa in vos viuat clarissima virtus.*



SEQVNTVR
PRECATI=

ONES PIÆ

M. M. A.



PRECA-

P R E C A T I O
A D F I L I V M D E I
D O M I N V M N O S T R V M
I E S V M C H R I S T V M,



*CHRISTE decus nostrum, lux, spes,
fiducia, virtus,
Præsidiū, robur, gloria, vita, salus.
Te solo nitor, solo ex te pendeo totus,
In te spes & opes, CHRISTE repono
meas.*

*Tu peccata luens tetri fœdissima mundi,
Factus es æterno victima grata Patri.
Tu dira, tanquam sceleratus, morte peremtus,
Placasti irati numina læsa DEI.
Hinc mundo culpæ venia est, hinc gratia manat,
Quæ delictorum crimina cuncta tegit.
Hinc domiti frustra iam mors, Satanasq; minantur
Nec sunt terrori Tartara fracta pijs.
Hinc, quæ clausa fuit cæli mortalibus aula,
Iam patet, hinc vitæ gloria perpetuæ.
Hæc sunt CHRISTE tuo nobis quæsita labore,
Sanguine sunt nobis hæc bona parta tuo.
Territus ergo tuum supplex deuoluor ad aram,
Sic ego ab hostili vi benè tuus ero
Non Satanae insidias, non mortis tela timebo,
Non metuam fauces, tristis Auerne, tuas.*

*Dextra illa antiqua præstans virtute, fideq;
Me teget, è cunctis eripietq; malis.
Namq; ouium ex numero sum, pastor Chryste, tuarū,
Pro quarum vita vita profusa tua est.
Sanguinis ergo tui pretio me CHRISTE, redemptum.
A latere auelli non patiere tuo.
Tu mihi perfugium, tu arx es, portusq; salutis;
Tu me victrici protege, quæso, manu.
Et seruire iugum peccati destrue vasti,
A libertatis perfice iura nouæ.
Et cum me mortis sæui vis vrserit hostis,
Tu peccatori dexter adesto mihi.
Vindice teq; malo tandem fac liber ab omni,
Templa patris tecum regna beata colam.
Et nouus ipse nouo per te cumulatus honore,
Cæli diuitijs, delicijsq; fruam.
Atq; DEI Patris, Natiq;, & Flaminis almi,
Laudes æternum pectore & ore canam.*



Precatio

P R E C A T I O
A D D E V M P R O
E C C L E S I A .

Summe DEVS, patrio qui nos comple-
xus amore,
Et generis cladem nostri miseratus a-
cerbam,
Non morti proprium dubitasti dedere
natum,

Illius vt plagis, sanctoq; cruore redemptis,
Vieta tua hoc pretio, placataq; parceret ira.
Huic quoq; parce gregi, tibi qui his collectus in oris,
Seruit, & in CHRISTO Domino spem collocat omnem,
Cui verbi lux grata tui, cui regia cura est
Caelestis, mundi regno praestantior omni.
Parce precor nobis, crimen culpamq; remittens,
Quae parit effrenis pravae petulantia carnis,
Da veniam lapsis, pater, & miserere tuorum,
Pro quibus est CHRISTVS mortem perpeffus amarã.
Non tua destituat titubantes gratia seruos,
Sed nos perpetuo clemens comprende fauore.
Erige prolapsos, erectos robore firma
Inuictò, gressus verbi face dirige nostros,
Accensamq; fidem flatu almi Pneumatis auge
Auctam & in extremo conserua limine vita.

Ut mundi ex petago euecti, teneamus apertum
Aeternae vitae, CHRISTO duce & auspice, portum.
Ac infinito complentem numine cuncta,
Salui infinitum te contemplemur in ævum.

P R E C A T I O

H O M I N I S P I I
A D D E V M.



*T*u mihi formato vitam, DEVS almae,
dedisti,
Tu produxisti miserum de ventre pa-
rentis
In lucem hanc, Natiq; tui me sanguine
lotum,

Iustitiae, atq; nouae donatum & munere vitae,
Ditasti, tu me nutritum in tempora clemens
Hæc conseruasti, cunctarum effector & autor,
Hoc quibus in fragili nunc vtor corpore, rerum.
Tu me difficili satis in statione locatum,
Armasti, texisti, rexistiq; potenti
Dextra. Te precor hoc, tua ne me deserat agrum,
Quæ sola infirmis vires valet addere, virtus.
Actus, quæso, meos, vitam, cursumq; gubernas,
Tandem vt propositam possim contingere metam,
Victor & æthereas per te conscendere sedes,
Imperiumq;

Imperiumq; tuum, maiestatemq; tueri,
Et celebrare tuas sanctorum cum agmine laudes,
Usurus summo, te, Maxime CHRISTE, Magistro.

P R E C A T I O
P I I P A T R I S F A
M I L I A S.



Væ, DEVS, à summo mihi te venere
parente,
Illa tuæ rursus curæ committo pater-
næ,
Vitam, animam, corpus, prolem cum
uxore, domumq;

Fortunas, famam, & quicquid tua gratia nobis
Largita est. Tibi conatus, studia, atq; labores,
Omniaq; officij commendo munia nostri,
Tu rege nos, tu conserua, defende, tuere,
Et quod capisti, diuino perface nutu,
Ut benè terrestris defuncti munere vitæ,
Te quoq; cœlesti Regem spectemus in aula.

Precatio

P R E C A T I O

H O M I N I S S T V
D I O S I.



Mnipotens mundi Rector, qui cuncta
creasti,
Atq; creata tui conseruas numine
verbi,
Me quoq; plasma tuum rege, clemen-
terq; tuere,
Et finem semper sim fac intentus in illum,
Ad quem nos homines tua dextera condidit alma,
Nempe creatori verè vt tibi deditus vni,
Te celebrem, nomenq; tuum, laudesq; propagem.
Et quia mens torpet nostra, incassumq; laborat
Ingenium mortale, tui nisi numine flatus
Nos moueas D E V S, & nostris conatibus adsis.
Te precor, vt studijs faueas, operasq; secundes,
Quas in mansuetas ego, te duce, consero Musas.
Tu vires auge exiguas, & suggere menti,
Quæ decet in primis nos vestigare sagaci
sensu indefessos, acri & perdiscere cura.
Duc me sacra tui primum in penetralia verbi,
vt te cognoscam, nostræ autoremq; salutis,
Et largitorem vitæ contempler I E S V M.
Ex quo vera fluit solo sapientia fonte,

Quo

Quo sine non valet ars, non vlla scientia prodest,
Hunc ergo primum discam, hunc ego persequar ipsū,
Quem tu Doctorem mundo, Pater almae dedisti,
Panderet vt nobis animi secreta paterni.
Et tu CHRISTE meus sis dux, studijq; Magister,
Tu mihi, discussa cæcæ caligine mentis
Lucidus affulge, & veri me redde capacem,
Tu me discipulum præceptis imbue sanctis.
Quæ me contineant, studio & moderentur in omni.
Fac mihi dulcescat sermo tuus, inq; medullis,
Visceribusq; meis defixus adhæreat imis.
Hic mihi totius sit norma, & regula vitæ,
Hic animæ sit gaza meæ, sit summa voluptas,
Hanc ego cælestem spectem, seclerq; lucernam,
Sic rectè errorum potero vitare tenebras,
Atq; intra certas studij consistere metas.
Tu rege me, DEVS, atq; tuo hoc mihi flamine præsta,
Vt nil tam atq; tuos mea mens meditetur honores,
Tu mihi principium, tu sis mihi finis agenti.
Fac mihi sordescat mundi exitiosa voluptas
Quæ multos retrahit, multos remoratur euntes,
Ne me transuersum abripiat, sed vt impiger omnes
Sustineam in cæpto cursu, toleremq; labores.
Aspera non me fors, non vlla iniuria frangat,
Sed me mercedis dulcis spes erigat ampla,
Qua post mortalis largè donabitur omnis,
Qui densis vitæ superatis fluctibus actæ,
Ad tutum appulerit, fausto sub sidere, portum.

Ad

*Ad quem vt perueniam velis , ventisq; secundis.
 Tu præsta puri præluçens lumine verbi ,
 CHRISTE mihi , solus potes hoc præstare petenti ,
 Nec te nitentem tua me promissio fallet.*

P R E C A T I O
 P I I C O N C I O N A
 T O R I S .



*Agne parens rerum , mundi rectorq;
 patens ,*

*Unicuiq; suum qui assignas munus in
 orbe ,*

*Qui me sancta tui cælestis dogmata
 verbi*

*Tradere vis populo , me præconemq; paternæ
 Esse voluntatis , fontem & monstrare salutis
 CHRISTVM , ac illius pulcherrima promere facta.
 Hoc munus nostras quia noui excedere vires ,
 Meq; tuo nihil hac in re sine numine posse.
 Te , pater alme , voco , mihi tu hinc assiste docenti,
 Atq; meam sancto semper rege flamine mentem ,
 Ut tractem sanctè sancti mysteria verbi,
 Præscriptamq; sequar normam , seruemq; fideli
 Corde , nec à vero deflectam limite CHRISTO.
 Ut summo tibi grata loquar , faciamq; parenti ,
 Et benè cuncta geram , duros toleremq; labores ,*

Nec

Nec metuam offensas mundi, aut discrimina vitæ,
Sed superem duram constanti pectore sortem,
Æternæ sperans vberima præmia vitæ.
Ut tibi inhaerescens veræ, CHRISTE optime, viti,
Palmas ego acceptos patri possim edere fructus,
Ut sis vera DEI illustretur gloria nostri.
Atq; suo augeat florens Ecclesia cætu.

P R E C A T I O

P I O R V M A V D I
T O R V M.



DEVS omnipotens, bonitatis fons &
amoris,

Qui verbi toto terrarum semen in or-
be

Saluifici spargens, omni tibi tempore
cætu

Colligis acceptum, qui te cognoscat, adoret,
Confiteatur, amet, quiq; ex te pendeat vno,
Sitq; tui tandem regni certissimus hæres.

Qui quoq; nos verbi diuina voce vocatos
Eligis, atq; tuo patrio comprehendis amore.

Pastores, quæso, nostros, verbiq; ministros
Conserua, atq; tuo sancto complectere flatu,
Ut rectè doceant, vita exornentq; decora
Diuinum id munus, cura faciantq; fideli,

Officij

Officij quæcunq; sui ratio exigit ipsa.
Nosq; auditores nutu moderare paterno,
Ut vera amplexi doctrinæ dogmata puræ,
Te, natumq; tuum sincero corde colamus,
Et iuxta verbi normam, legumq; tuarum,
Christicolis dignam nitamur ducere vitam.
Doctores nostros hic ut foueamus amanter,
Ac nos concordi nos inter mente iuuenus.
Ut sic pastorum vestigia certa secuti,
Recta progressiq; via, teneamus Olympum,
Partam per CHRISTVM patriam, sedesq; beatas.

P R E C A T I O
P I I P R I N C I P I S
E T M A G I S T R A T V S.



Ex regum DEVS, & dominantum
maxime Princeps
Qui me rectorem populo, dominumq;
dedisti,
Ut mihi sit summæ tuæ sanctæ Eccle-
sia curæ,
Et sub tutela vigeat respublica nostra.
Ut sim defensor legum, custosq; tuarum,
Ac disciplinæ, pacis, iurisq; patronus.
Utq; mali meritas pendant me vindice pœnas,
Atq; boni vitam, me protectore, quietam

Degant,

Deqant, atq; suæ probitatis præmia portent.
Utq; ego virtutis typus, ac exemplar honestæ,
Præluce meis summo conamine nitæ.
Huic oneri me quando parem non esse ferendo,
Noui, ni DEVS ipse tuo me numine firmes,
Ni mihi succurras, ni me modereris, & armes:
Ergo te imploro, Rex illustrissime Regum,
Te voco, te obtestor, validam tu porrige dextram,
Tu sis auxilio mihi, tu mihi suffice vires,
Ut mihi commissum munus rectè exequar omne,
Atq; meas tuear constanti pectore partes,
Ne mala me frangant, nec certa pericula tardent,
Ne me conturbent odia, aut maledicta malorum,
Nec vanam captem laudem, mundiq; fauorem.
Verum ut iusticiæ solum, legumq; minister,
Illa geram, tibi quæ DOMINO Regiq; probantur,
Quæq; bono plebi nostræ sint, atq; salutæ.
Si quid peccatum est à me, tu ignosce benignè.
Nota tibi est nostræ torpens ignavia carnis,
Magnaq; debilitas, quæ rectos impedit actus.
Ergo da veniam erratis, ac omne remitte
Delictum, propter CHRISTVM, qui crimina morte
Nostra luit fæda, ligno suspensus in alto.
Quem propter, quando hac oneris me mole leuatum
Vis mutare locum, misera hac & cedere vita,
Me patiare tui spectare palatia regni,
Cælicolasq; inter cælestem viuere vitam.

F

Precatio

P R E C A T I O

PIORVM SVBDI-
TORVM PRO MA-
GISTRATV.




*Vmme gubernator rerum, cui subiacet orbis
Immensi mundi, cui parent pontus & æther.
Per quem regna tenent reges, proceresq; su-
perbi,
Qui moderatores terrarum præficis orbi,
Hosq; tuo impellens nutu arbitrioq; refrenans,
Omnes imperij lata ditione coerces.
Tu quoq; res nostras, & nostrum respice cætum,
Atq; magistratus patrio rege flamine nostros.
Te vt metuant, & ament, ac vt tua iussa capessant,
Vtq; suas CHRISTO portas aperire laborent,
Eius & imperio sese submittere discant.
Et sacrata colant diuini oracula verbi.
De hinc vt iusticiam, & leges tueantur honestas.
Defendantq; bonos, pœna afficiantq; nocentes.
Et paci studeant sanctæ, dulciq; quieti.
Vt sub eis cultus Domino tibi reddere veros,
Virtutum & studijs nobis incumbere rectis,
Atq; piam placidè liceat traducere vitam*

Breuis

BREVIS PRECATIO
PRO MAGISTRATV ET
populo.

TV tibi commissum populum cum principe nostrum
Christe foue, & nutu nos moderare tuc.
Ut tibi sancta tuas canat hæc Ecclesia laudes,
Et consors regni sit, maneatq; tui.

PRECATIO PII
MARITI.


 Vtor coniugij **DEVS**, & seruator ho-
nesti,
Omnis principium, fons, & origo
boni,
Qui mihi consortem vitæ, sociamq; la-
borum,
Iunxisti casti iure, fideq; thori,
Coniugium quaeso nostrum bonitate paterna
Prosequere, & felix perpetuo esse iube.
Conatusq; tuo semper rege numine nostros,
Ut tibi vterq; suo seruiat officio.
Ut mentem castam casta te mente colamus,
Atq; domus templum sit tibi nostra sacrum,
In qua Antistes ego, atq; grauis pietate sacerdos,
Prima tibi reddam vora, precesq; **DEO**.

*Sedula quem coniunx casta cum prole secuta ;
 Mecum continua te venerentur ope.
 Fac vt sacra tui meditemur dogmata verbi ,
 Unde salus omnis prosperitasq; fluit.
 Ut nostro ductu teneris ea combibat annis ,
 Proles nostra , manus dulcia dona tuæ.
 Ut iuxta verbum vitam effingamus & ipsam ,
 Spectantes legis iussa verenda tuæ.
 Si quid peccatur ; quod solum possumus omnes ,
 Tu carnis nostræ vulnera fœda tege.
 Et propter CHRISTVM culpam , pœnamq; remitte ;
 Nosq; tua patria pro bonitate fove.
 Fac mundo vtamur , ne nobis obsit abusus ,
 Ne nos in pœnas , exitiumq; trahat.
 Si , quæ coniugibus solet esse domestica castis ,
 Crux , nos sancta iugo presserit ipsa suo :
 Ne succumbamus , præduro pondere victi ,
 Tu nos confirma , tu DEVS alme iuva.
 Ex hac vt vitam tuti emergamus ad istam ,
 Quæ noua nos CHRISTI sanguine parita manet.*

P R E C A T I O

**F I L I I P R O P A -
 R E N T I B V S .**

Qui

 *Vi post te dulces mandas, Deus alme, parêtes
A natis summo semper honore coli,
Multa & promittis bona, longaq; tempora
vitæ,*

*Illis, qui parent legibus vltro tuis.
Quæ mihi per charos præstes agnosco parentes,
Et quantis ornes me, cumulesq; bonis.
Ergo etiam toto grates tibi pectore dico,
Dicturus posthac, dum mihi vita manet.
Te quoq; supplicibus posco, Pater optime, votis,
Ut mihi conserues, quos tua cura dedit.
Ac his digneris longam concedere vitam,
Per quos me nutris, me regis, atq; foues.
Per quos suppeditas mihi plurima commoda vitæ,
Fers & opem studijs, auxiliumq; meis.
Quos ego suspicio post te, tua iussa secutus,
Hos serua incolumes, optime quaeso Pater.
Sint salui, quaeso, longo vt mihi tempore profint,
Et me consilio, req; operaq; iuuent.
Ut tibi cultorem post se me aliquando relinquunt,
Qui mediter laudes pectore, & ore tuas,
Post etiam cælo tibi seruiturus in alto,
Cessero cum iussu hac de statione tuo.*

E P I T A P H I U M

VV O L F G A N G I
V L R I C I A V V E B E R L I N -
G E N V I R I I N T E G E R R I M I , E T
equestris ordinis clarissimi, qui vitam
hanc amisit, anno 1572. 6. Idus
Maij, anno ætatis 39. cum
in coniugio vixisset
annos 12.



T VVeberlingus nostris digressus ab o-
ris,

Nunc has mortales despicit altus
opes.

Nos Mecænatem verò mæremus adem-
tum,

*Dicta recordantes, & pia facta viri.
Si magnos virtus, si dignos laude tuetur,
Si prohibet doctos optima Musa mori.
Eius certè obitum decus immortale sequetur,
Et viuet magni gloria magna viri.
Non fuit ex numero VVolf Udalricus eorum:
Qui sola generis nobilitate tument.
Eius deliciae Musæ, generosaq; virtus,
Splendoris veri fons & origo fuit.*

Sic

Sic ille enituit, sic stemmatis auxit honores,
Summorum celebri dignus amore Ducum
Dignus amore quidem, cui vana superbia mores
Non poterat fastu commaculare suo.
Qui bona prudenter sua, præclareq; ferebat,
Qua nati simus conditione memor.
Qui cum præsentis vitæ res esse caducas
Nosset, & incertas temporis esse vices:
Vitam sperabat, meditabaturq; futuram,
Quæ roseo CHRISTI est sanguine parta pijs.
Hanc affectanti, fuluo preciosior auro
Cælestis verbi fulgida lampas erat.
Quæ mentis nostræ tenebras illuminat atras,
Et CHRISTVM veram monstrat ad astra viam.
Hanc gratam ille facem vita observabat in omni.
Hac nixus studij, consilijq; duce.
Cumq; his qui sacri tractant mysteria verbi,
Multus ei semper, dulcis & usus erat.
Hos sibi devinctos opera, meritisq; tenebat,
His erat officio, subsidioq; parens.
Illius ergo abitum merito lugemus amici,
Eius quod fida nunc careamus ope.
Ille sed humanis exemptus casibus, aulæ
Cælestis fruitur nunc sine fine bonis,
Et nos expectat, CHRISTI qui sanguine frecti
Mox adituri eadem regna beata sursum.

EPITAPHIVM

CLEMENTIS ABS-
DORFII CONSVLIS BERN-
BURGENSIS, QUI DECESSIT
Anno 1570. die S. Martini,
qui est 11. Nouem-
bris.



*Alue chare parens, vite dulcissima
nostra*

*Patrem post summum causa, &
origo, D'EV M.*

*Salve iterum, atq; iterum, vera eter-
naq; salute,*

Salve dilecta cum genitrice parens.

Sic bene te meritum de me, patremq; verendum,

Me nunc affari post tua fata decet.

Non quod opus precibus tibi sit, votisq; piorum,

Sed te vt postremo prosequar officio.

Tu dubio procul hac lacrymarum ex valle profectus

Veram nunc patriam caelica regna tenes.

St velut ex pelago tumidis feruente procellis

In portum vectus, carmina leta canis,

Atq; D'EV M, magno cuius tu numine tectus,

Tandem euasisti, gratus, ouansq; colis.

Sat

Sat iactata diu fuerat tua nauis in vndis,
Dum numeras vitæ lustra bis octo tuæ.
Multa quidem videat, faciat, toleretq; necesse est,
Quisquis in hac annos tot statione manet.
Certè confectus, fractusq; fatiscat oportet,
Qui vitæ tanto tempore gestat onus.
Vita quid est aliud, grandis nisi tela malorum,
A primo ad summum continuata diem?
Non libet hic varios mihi deplorare labores,
Quos, pater, exhaustos nouimus esse tibi.
Quin potius lætor, quod eos superaueris omnes,
Diuina semper fretus, & auctus ope.
Quodq; DEI laudem spectans, hominumq; salutem,
Præclare munus gesseris ipse tuum.
Quod vitæ cursum rectè transegeris omnem,
Eximiam præstans in statione fidem.
Eius & extremum quod rectè absolueris actum,
CHRISTI commentans, respiciensq; crucem.
Cuius tu meritis fultus, feliciter oras
Mutasti, CHRISTO latus ad astra duce.
Per quem, præteriti merces satis ampla laboris,
Æterna est illic gaza reposita tibi.
Qui te restituet totum, cum venerit olim,
Mundum iudicio sistat vt ipse suo.
Cum nos è gelidæ depromptos puluere terræ
Colliget, & lætos ad sua regna vehet.
Nos vbi coniunctos, nulla vnquam distrahet ætas,
Nos vbi perpetuus consociabit amor.

F S

Hæc

*Hæc nos in media fulcit fiducia morte,
Hæc sustentati vincimus omne malum.
Hoc tibi debemus, tua sunt hæc munera CHRISTE,
In te speranti cœlica regna patent.
His igitur leti tandem potiamur ut omnes,
Perfice præsidio, Maxime CHRISTE, tuus*

EPITAPHIUM

HIERONYMI
ABSDORFII, QUI DI-
em suum obiit, Anno 1573. die
23. Maij, anno ætatis
suæ 22.



*Langi nostra fides prohibet tua fune-
ra, nate,
Qui placida ad Christum morte
solutus abis.*

*Non lugere tamen nos non sinit illa pa-
rentum*

*A Genitore animis insita storga DEO.
Nam moveris fato à nobis diuulsus acerbo,
Illo, quo nubit filia nostra die.
Nos natum te efferre, faces præferre iugales.
Natæ, lux mæstos vna eademq; videt.
Sic tristi casu perit interrupta voluptas,
Et fœdat subitus gaudia nostra dolor.*

O spts

O spes fallaces hominum, sortemq; malignam,
Cuius ab insidijs nemo cauere potest.
Quæ sic in nostris ludit temeraria rebus,
Et gaudet mentis fallere vota bonæ.
Sed miseris nobis miseræ fastidia vitæ.
Sic mouet æternus, cunctipotensq; DEVS,
Atq; suæ desiderium sic excitat aulæ,
Quæ verè veris est cumulata bonis.
In quam cum, fili, quoq; te susceperit almus,
Ex hac ereptum colluione, DEVS.
Optarim quamuis mihi te præstare parenti,
Quod nato præsto nunc pater officium.
Non tamen inuideo, quod me prior auxeris agmen
Sanctorum, cæli qui sacra templa colunt.
Quod nunc læticia, vitaq; fruare perenni,
Auditor CHRISTI, discipulusq; tui,
Hoc me solatur, patrium minuitq; dolorem,
Quod sis cælestis portio grata scholæ.
Quod palmam gestans, niueo & candore decorus,
Lætæ triumphanti carmina voce sonas.
His, quæ diuini produnt oracula verbi,
Fultus, cor ægrum, sollicitumq; leuo.
Et quibus, ad patriam fili euasura beatam,
Nos confirmabas, his ego fido bonis.
Ergo sperata citius te pace potitum,
Cælesti posthac patre vocante sequar,
Te non amissum siquidem præmisimus illuc,
Quo nos venturos credimus esse breui.

Fratrī

FRATRI OPTIMO, FELI-
CITER MORTVO, FRIDERI-
cus Absdorfius.

Quid gemimus, frater, te cur abiisse dolemus?
In cœlis æuum cum modo saluus agas.
Non lugenda est mors, quam felicissima vitæ
Conditio sequitur, perpetuumq; decus.

P R E C A T I O

M. M. A B S D O R F
FII PRO ECCLESIA SI-
bi commissa, contra maleuolos
& hostes.



Qvod tibi nostra, DEVS, curæ est Eccle-
sia semper,
Quod nos Pastores eius, verbiq; mini-
stros,
Aduersus fraudes hominum, Satanaq;
tueris,

Ex animo grates, pleno & tibi dicimus ore.
Præsentem te nos agnoscimus, atq; potentem,
Atq; tuum toto veneramur pectore numen.
Tu posthac etiam Satanae compesce ministros,
Horum & conatus, actusq; infringe malignos,

Qui

Qui studio nostram sibi habent turbare quietem ;
 Et mala pro nostris benefactis præmia reddunt ;
 Qui nos immeritos probris proscindere gaudent ;
 Atq; ministerium lacerant fædo ore sacratum ;
 Tu te consilijs ; ausisq; oppone malorum ;
 Nosq; tuos famulos ; cæcum & defende piorum ;
 Ut tibi vota tuas pia persoluamus ad aras ,
 Atq; alacri meritos studio tribuamus honores .

ALIA PRECATIO

M. M. A.



DEVS immensum peccati sentio pon-
 dus ,

Atq; tuum trepidans horreo iu-
 dicium

Non vbi consistam, video, premit vn-
 diq; moles ,

Nec possum curis hanc remouere meis.

Sed quia prompta mihi tua non ignota voluntas,

Qua recipis, culpæ quos pudet vsq; suæ.

Ad te confugio, tua me miseratio seruet,

Me tua per CHRISTVM gratia parta leuet ;

Quam mihi promissis credenti porrigis amplis,

Quamq; ratam signis, pignoribusq; facis.

Hac nitor, meriti procul absint somnia nostri,

Mors CHRISTI meritum, vita, salusq; mea est.

Hac

Hac fretus , patrioq; tuo suffultus amore ,
Quæ me cunq; voles sustinuisse feram.
Et quia nil firmi brevis hæc mihi vita ministrat ,
Fac animo mediter cælica regna meo.
Fac mortem , quæ certa nouæ reparatio vitæ est ,
Cum tu vis , subeam , lucraq; certa putem.
Fac vt cælestis commenter gaudia vitæ ,
Cum te visurus sum sine fine DEVM.

Soli DEO gloria.



MAGDEBURGI

VWolfgangus Kirchnerus excudebat.

ANNO

M. D. LXXVIII.


Adent


Q 1194

X 2203102

ss.

m.c.





M. MATTHÆI
ABSDORFII POE-
MATA QVAEDAM THE-
ologica, Generosis Comitibus
Stolbergensibus de-
dicata.

Psal: 118.

*Quam dulcia faucibus meis
eloquia tua, super mel ori meo.
Lucerna pedibus meis ver-
bum tuum, & lumen semitis me-
is.*

Christophorus  *Ludovicus*

MAGDEBURGE

M. D. LXXVIII.

